

**DOTTORATO DI RICERCA INTERNAZIONALE IN FILOSOFIA:  
“FORME E STORIA DEI SAPERI FILOSOFICI” - XXVI CICLO**  
UNIVERSITÀ DEL SALENTO – UNIVERSITÉ PARIS SORBONNE

**Tesi in cotutela presentata da**

**EMANUELA ORLANDO**

**per il conseguimento del titolo di Dottore di Ricerca  
in cotutela con l’École pratique des Hautes Études  
MENTION « RELIGIONS ET SYSTEMES DE PENSEE »**

**Disciplina: Filosofia**

***JUAN CARAMUEL Y LOBKOWITZ (1606-1682) LETTORE DI  
DESCARTES. STUDIO DELLE OPERE A STAMPA E DEI TESTI  
MANOSCRITTI***

VOLUME II

PROF. JEAN-ROBERT ARMOGATHE  
PROF. SYLVIO HERMANN DE FRANCESCHI  
PROF. IGOR AGOSTINI  
PROF. STEFANO DI BELLA

Lecce, 16 novembre 2016

© 2018 – Clio S.r.l.  
ISBN 978-8894968-31-6

*I manoscritti cartesiani di  
Vigevano*



Si pubblicano qui tutti i manoscritti di Caramuel su Descartes che sono conservati nel *Fondo Caramuel* dell'Archivio storico diocesano di Vigevano, ad eccezione delle *Animadversiones in Meditationes cartesianas*.

Si tratta dei seguenti documenti:

*A Johannes Marcus Marci*, 7 luglio 1644 (Archivio Storico Diocesano di Vigevano, Fondo Caramuel, 28.39) h. cm 21 x b. cm 16,50

*A Fernandus Niphus*, 7 luglio 1644 (Archivio Storico Diocesano di Vigevano, Fondo Caramuel, 28.38) h. cm 21 x b. cm 16,50

*A Johannes Jongelinus*, 7 luglio 1644 (Archivio Storico Diocesano di Vigevano, Fondo Caramuel, 28.47) h. cm 21 x b. cm 16,50

*Ad Alberto Richardelio*, (Archivio Storico Diocesano di Vigevano, Fondo Caramuel, 28.61) h. cm 21 x b. cm 17

*A P. Johannes Zunigaeus*, 1 ottobre 1644 (Archivio Storico Diocesano di Vigevano, Fondo Caramuel, 28.44) h. cm 20 x b. cm 16,50

[...] *Inventione veritatis diffidere*, 7 luglio 1644 (Archivio Storico Diocesano di Vigevano, Fondo Caramuel segnatura, 28.41) h. cm 21,50 x b. cm 16,50

[...] *Multa praeter Philosophorum*, 10 febbraio 1645 (Archivio Storico Diocesano di Vigevano, Fondo Caramuel, 28.43) h. cm 21 x b. cm 16,50; unica aggiunta h. cm 3,50 x b. cm 7,50

*A Bernardus Ignatius Conte di Martiniz* (Archivio Storico Diocesano di Vigevano, Fondo Caramuel, 28.72) h. cm 21 x b. cm 17; prima aggiunta h. cm 6 x b. cm 11, seconda aggiunta h. cm 12 x b. cm 16, terza aggiunta h. cm 10,50 x b. cm 12

*Ai professori di teologia di Lovanio: Adrianus Crommius, Ignatius Derkennis, Iohannes de Jonghe, Ludovicus de Shilder, Franciscus de Cleyn*, (Archivio Storico Diocesano di Vigevano, Fondo Caramuel, 28.57) h. cm 21 x b. cm 17

*Hypophysica* (Archivio Storico Diocesano di Vigevano, Fondo Caramuel, busta 36, fascic. 26) h. cm 20,50 x b. cm 15,70

*Selectiores quaestiones a variis Philosophis explicatae a Renato Cartesio, recognitae a I. Caramuel Lobkowitz* (Archivio Storico Diocesano di Vigevano, Fondo Caramuel, busta 36, fascic. 37) carta 1: h. cm 35 x b. cm 24; carta 2: h. cm 10,80 x b. cm 16,20

*Quaestiones* (Archivio Storico Diocesano di Vigevano, Fondo Caramuel, busta 36, fascic. 26) h. cm 20 x b. cm 16,50; prima aggiunta h. cm 3,80 x b. cm 11, 50, seconda aggiunta h. cm 6 x b. cm 12,50, terza aggiunta h. cm 9 x b. cm 12,50

- *Quaestio. De superficie. An detur? Et quid ipsa sit?*
- *Quaestio. An detur invisibilia?*
- *Quaestio. De Sacramento Eucharestiae*
- *Quaestio. De Animabus Brutorum, quid ipsae sint*
- *Quaestio. An nihil in effectu sit quod non sit in causa*
- *Quaestio. An omnis limitatio sit a causa effectrice?*

*Quaestio. Uter melius probet Dei existentiam Angelicus Doctor, an Cartesius?* (Archivio Storico Diocesano di Vigevano, Fondo Caramuel, busta 36, fascic. 37) h. cm 21 x b. cm 16; unica aggiunta a stampa h. cm 10,50 x b. cm 11,50<sup>1</sup>

I manoscritti risultano ben leggibili e in buono stato di conservazione.

I fogli presentano innumerevoli cancellazioni e integrazioni, queste ultime inserite sia nel corpo del testo, sia a margine, oltre che *becquets*. Questi ultimi sono di tre tipologie: *mss*, a stampa e a stampa con annotazioni *mss*.

I *becquets* a stampa consistono in stralci di pagine di un esemplare della II edizione (Amstelodami, apud Ludovicum Elzevirium, 1642) delle *Meditationes de prima philosophia* (Cfr. *Quaestiones*) e, in un caso, di un esemplare del *Corpus juris canonici* (Cfr. *Multa praeter philosophorum*).

---

<sup>1</sup> Le lettere a Richardelio, Ignatius e ai teologi di Lovanio e tutti gli altri documenti sono senza data. Per un'ipotesi di datazione, cfr., I volume, capitoli III e IV.

## CRITERI PRINCIPALI SEGUICI NELLA TRASCRIZIONE DEI MANOSCRITTI

La seguente trascrizione è stata condotta secondo i criteri in uso per i manoscritti autografi.

Si sono quindi conservati sia l'ortografia (ivi compreso l'uso di maiuscole e minuscole), sia la punteggiatura. Si è scelto, invece, di non conservare le abbreviazioni e di sciogliere i dittonghi.

Le integrazioni a margine sono state sempre inserite nel corpo del testo. Le innumerevoli cancellazioni non sono state segnalate.

Le parole e le frasi sottolineate sono state riportate in corsivo. Le parole sottolineate due volte sono state riportate in corsivo sottolineato.

Le interruzioni di foglio sono state segnalate mediante una barra verticale. Per segnalare le lacune si sono utilizzate parentesi quadre in grassetto separate da tre puntini di sospensione, mentre gli spazi bianchi sono stati indicati con tre asterischi.

Il testo dei numerosi *becquets* è stato sempre inserito nel corpo del testo e segnalato in nota alfabetica in calce, indicandone la tipologia: *ms.*, a stampa, e a stampa con annotazioni *mss.*

Un secondo ordine di note, numerali, poste in fondo al testo, esplica i riferimenti bibliografici presenti nel manoscritto.

CLARISSIMO VIRO

Ioanni Marco Marci, primario Medicinae Doctori et Professori S. P.

*Pragam.*

Uberiores Tabellarius hesternus; sed ne iste vacuuus in Germaniam superiorem adscenderet, Cartesii et meas demonstrationes mitto, et libenter ad te virum doctissimum, qui a sciolis non libenter legor. Sumus in misera saeculi tempestate; iudicaturi sint gregarij velites militiae Principes, et in eximios homines Minerva pinguis ex imo audet. Forte et haec censura in caput meum, licet non ex sententia: forte et ego, fortunae miles, hac die sine fortuna pugno; nam ubi virtus non est dux, nequit esse fortuna comes. Cartesium Virum magnum oppetij, non diffiteor; sed servata hominis reverentia et duce virtute syllogistica ; nihil enim adtingo, quod non probo; nihil non probo inquam, mea enim non interest ostendere Cartesii asserta esse falsa, sed demonstrare non esse per se nota, aut ita certa ut in dubium non cadant. Multa ipse probabilia veris et falsis intermiscet ut videantur Meditationes esse multicolores, non solum ratione materiae, sed et formae. Illa varia omnino et ambigua, omnium scientiarum penetralia pervadens, in primam Philosophiam collimans, se Mathematicis insinuat, offert Theologis, et Medicis etiam adsistit; inter quos cum emineas, non gravaberis audire Cartesium Physicam novam prudentem. Nam Meditationis III. num. 53. sic ait,

*Quantum denique ad parentes attinet, ut omnia vera sint quae de illis unquam putavi, non tamen projecto illi me conservant, nec etiam (lege attente quam universaliter loquatur) ullo modo me, quatenus sum res cogitans, effecerunt; sed tantum dispositiones quasdam | in ea materia posuerunt, cui me, hoc est mentem, quam solam nunc pro me accipio, inesse iudicavi. Ac proinde hic nulla de his difficultas esse potest<sup>1</sup>.*

Multa hic Vir doctus, quae apud philosophos omnino incerta, multa, quae falsa; et omnia paucis verbis.

*Primo omnem influxum Parentum in animi rationalis unionem negat; et quia omnem nec materiale nec formale, nec proximum nec remotum, nec principalem nec instrumentalem admittit: et, ut scis, Physici, tametsi varient, maioris suos Parentes faciunt, quam ut illis meras dispositiones concedant.*

*Secundo* filios conservari a Parentibus negat audacter, sed non probat; cum tamen in alvo a matre foveri et conservari clarius sit, quam ut probari debeat; vel examina, an bimestres aut trimestres excisi, supervivere possint; et si non possint, qui tamen connaturaliter in matrum ventre poterant, argumento est, quod mater influxu ante nativitatem non careat.

*Tertio* inconsiderate dispositiones collocat in materia, cum ipsae qualitates sint, et tamen dubium, an quantitatis sit subiectum materia, et qualitatum quantitas, nam opinio asserens apud gravissimos Doctores obtinuit nostra aetate, qui ne sexcentena miracula in eucharistico sacramento cogantur admittere, asserendo accidentia singula divinitus manuteneri, docent quantitatem miraculose conservari, et reliqua sensibilia accidentia connaturaliter suo antiquo inhaerere subiecto, hoc est, quantitati.

*Quarto* hominem esse tantum rem cogitantem sentit, cum tamen videamus propriis oculis eum corpore constare, et nesciamus an idem ipsum corpus sit res cogitans, an a mente distinctum; nec aliter indagare hanc possimus obscuram veritatem, quam ad Fidem Romanam recurrendo, quae nos docet Hominem esse unum, sed compositum corpore et animo. |

Examinare. Multa in eo nova legi, multa supra opinionem et captum; sed quia Astronomiam colo, non sine admiratione Rationes Astronomicas esse notiones quasdam Animo Rationali congenitas numero enim 17. Meditationis III. sic inquit, *Duas diversas solis ideas apud me invenio, unam tanquam a sensibus haustam, et quae maxime inter illas quas adventitias existimo est recensenda, per quam mihi valde parvus apparet: aliam vero (attende obsecro) ex rationibus astronomiae desumptam, hoc est ex notionibus quibusdam mihi innatis elicita, vel quocumque alio modo a me factam, per quam aliquoties maior quam terra exhibetur*<sup>2</sup>. Sane si innatae notiones Astronomicae, non starent tot laboribus Ptolemaeo, Copernico, Tychoni, Tibi, Mihi que, non tot impensis, non tot morbis. Coeli sacra fames ita Brahaeum pupugit, ut Keplero teste sub iove noctes integras ageret, et denos aut plures studiosos non impenderet modo sed perderet. Nimis enim tenera iuvenilis aetas labori pertinaci, nec diu potest consistere, si frigori hyemali exposita. Et ipse tametsi multo cautior experior, humanam valetudinem cum observationibus coelestibus componi non posse. Sed quia notabili dolori capit is stetit mihi subcursus Iovialium Satellitum die Novemboris 2. stilo novo, sub medium nonae vespertinae anno 1643 volui hic uberioris rem deducere.

Visus est speciali vitro ipsem Juppiter, quantus, qualis imagine repraesentatur; latus digitis quatuor, paulo longior, factus, divisus, perforatus, constantibus tamen maculis tubo circumducto et rotato. Peripheria undosa non tamen nimis inaequali praeditus duos globulos candidissimos et lucidissimos ultra medium versus latus occidentalem prae se ferebat, altiore quasi 1. ad 16. cum Planeta collatum, inferiorem vix sensibiliter sono minorem. Mihi Juppiter multo minor quam hucusque creditus et hinc constat satellites illos Galilaeos valde parvos. Et quidem omnino mirum esset eos tot saeculis in coelo aperto clausos delitusse, et tam aegre posse mensurari, ne dicam observari si congenitae sunt Homini | notiones Astronomicae, ut Cartesius aut dubitat, aut opinatur. Animadversiones meas, mitto et tuae eruditissimae Amplitudinis iudicium et censuram exspecto. Vale vir Optime memor

*Spirae Julij nonis*

∞ DC XLIV.

*Addictissimi Tui*

*Joannis Caramuel Lobkowitz*

*POSTSCRIPTUM.*

Iam nunc desideratae tuae litterae, per totam Europam circulatae traduntur. Parisiis Lovanium, hinc Bruxellis Coloniam, inde Crucinacum, Francandaliam, Moguntiam, et tandem Spiram devenerunt. Olim me tua devinxerat sapientia, modo et humanitas, ut dupli vinculo interceptus Tuus omnino sim, et mihi omnino congratuler, quod Viri tanti. Multa pulchra intermises et obiicis, quae expositione digna, praecipue de mensurandis Syderum diametris, quas puto me exacte metiri, tametsi ante me a nullo mortalium speratum. Prodibit iterum libellus ille, hic apud Germanos in pretio, et quia materia est analoga, illa omnia exponam qua tibi videntur specialia. Occultati a Luna Quadrilateri Pleiadum communicaret, si adesset Wendelinus; sed ipsum Belgium retinet, ex Herca locus obscurus Clarissimam mentem occultat, adeoque tardius ad ipsum meae quam ad te transeunt cura copiam exscribi ut a Te habeam; meque amare perge et Viris Magnis, Reverendissimo Mersenno, et Amplissimo Naudaeo commenda.

---

<sup>1</sup> *Meditationes*, III (B Op I 746; AT VII 50, l. 25-51, l. 2).

<sup>2</sup> *Meditationes*, III (B Op I 732; AT VII 39, ll. 18-26).

PERILLUSTRI ET Nobili  
Adolescenti D. Fernando Nipho, S. P.

*Lovanium*

Multa [sic] sunt, ingeniose Fernande, causae et rationes quae me tibi devincunt. Proavi tui Augustini Niphi summa eruditio, Fernandi Avi tui summa Fortitudo et in re militari felicitas, Hieronymi Parentis tui summa eruditio, summa fortitudo, summa urbanitas. Augustinum, Medicaeum Philosophum cum fructu eximio lego; Fernandi expeditiones in Carnero aliisque cum admiratione notabili; Hieronymi in diplomatibus Regiis servitia cum veneratione. Te diligo magnarum qualitatum haeredem. Ut in magnum evadas, Maiores imiteris; ut in maiorem tuis Maioribus, Proavi inventis insistens novas Meditationes adde. Ut mentis aciem acuas, cum Proavo juniores compone, inter quos Cartesius non est ex parvis. Acute meditatus est, et si probabiliter vellet; pulchre; sed quia demonstrative putat, multorum stilos provocavit. Proavo tuo in multis consonat, in multis dissonat, in hoc illo foeliciar quod liberior. Floruit ille saeculo misero, in quo sub Aristotelis iugo magna ingenia scientias profitebantur; at nostra aetas illud excussit, veritatem prosequitur, quid supposuerint veteres non moratur. Sed quia in libris de Anima tuus Augustinus multa valde nova vel invito Aristotele non sine Aristotele asseruit, ut qui legere debeas Cartesium sine me, unam tecum Quaestionem ventilabo. Medit. VI. num. 26. sic inquit, *est quidem in me passiva quaedam facultas sentiendi, sive ideas rerum sensibilium recipiendi et cognoscendi; sed eius nullum usum habere possem, nisi quaedam activa etiam existeret, sive in me, sive in alios, facultas, istas ideas producendi*<sup>1</sup>. Lege | attente. Sensatio passio est, ideo in nobis facultas haec passiva requiritur alias enim non possemus sentire; at activa facultas solum requiritur, ut ideae dentur, quae si a se essent, illa non esset necessaria. Hac periodo praemissa, quae leviter a demonstratore supponitur, et tamen a Philosophis graviter disputatur, eumdem Gassendi dubitatione IV. Meditationis VI. respondentem audiamus. *Hic quaeris, inquit, quomodo existimem in me subiecto inextenso recipi posse speciem ideamve corporis, quod extensum est. Respondeo nullam speciem corpoream in mente recipi, sed puram intellectionem tam rei corporeae quam incorporeae fieri*

*absque specie corporea; ad imaginationem vero, quae non nisi de rebus corporeis esse potest, opus quidem esse specie quae sit verum corpus, ad quam se mens applicet, sed non quae in mente recipiatur*<sup>2</sup>. Ergo supponit multa sibi pugnantia, et non iam per se nota, sed minus probabilia.

Supponit Primo, *omne incorporeum seu spirituale esse inextensem et indivisibile, quod non admittent qui qualitates etiam spirituales et supernaturales habere entitativas partes, et illarum additione intendi existimant.*

Secundo, *in subiecto inextenso non posse recipi speciem extensam;* ergo neque in subiecto extenso et divisibili animam inextensem et indivisibilem; quia nulla est disparitatis ratio. Si enim aperias oculos, non est difficilior rem divisibilem extensem et corpoream informari anima indivisibili inextensa et incorporea, quam animam indivisibilem inextensem incorporeamque specie aut qualitate divisibili extensa et corporea. Id aliter urgeo. Illa species corporea recipitur in imaginatione etiam corporea. at ipsa imaginatio, cum animae facultas sit corporea, non-ne recipietur in anima incorporea? Sic credo: Non enim in homine plures sunt animae, et cum vitalis facultas sit in corpore, quod est principium non vitale, recipi non potest.

Tertio *se applicare ad speciem non esse speciem recipere* supponit; quid est ergo? Mens cum se applicat, aliter se habet quam prius, ergo mutatur: ergo recipit aliquid. quia mutatio in passione consistit.

Quarto *sensationem esse passionem*, sed scire vellem, An visio, quae est receptio ideae sensibilis sit in potentia materiali? Respondebit Cartesius assertive. Sed potentiae visivae subiectum? corpus? anima? | si illa; iam entitas materialis in spirituali, extensa in non-extensa, divisibilis in indivisibili recipitur. si in illo; tam videt homo, quam videret lapis, si speciem coloris aut etiam facultatem visivam reciperet: quod, ut existimo, non volet Cartesius admittere.

Ergo quidem in Metaphysicis verosimilius iudicavi, anima corpus informari; utrumque sub collari subsistentia corporea; illud quantitatem et qualitates corporeas mediate aut immediate recipere; hanc potentis spiritualibus et materiali sensu (organice est multiplex, non entitative) praeditam. Et species corporeas (si ipsae dantur) etiam in intellectu spirituali posse recipi: haec enim omnia Philosophiam facilitant, nec datur aliqua notitia repugnantiae. *Verosimilius iudicavi*, inquam, *non evidenter*, quia in illo volumine rationalia trago, rationabiliter discurro, nec multas evidentias polliceor, quia reperiendas despero: existimoque illa omnino tenenda dogmata, quae similiora veritati.

Tu ista, quae subtilia sunt ingenio tuo tenero acuto tamen discute, imo et illis, illud ipsum exacue, et si meliora ferventis aetatis vivacitas suggerat, aut ex Augustino tuo hauseris, audacter repone. Similis Proavo chartis impallescas feliciter; similis Avo sis constans, nec laboribus (in stadio letterario sunt magni) deterrearis: Patri similis priores dotes intendas, et morum elegantia exornes. sis omnibus comis amicus, officiosus; et sic Deo auspice antequam in verum, in illustrem evades. Vale. Spirae. Nonis Iulijs M.DC. XLIV.

Joannes Caramuel

Lobkowitz

---

<sup>1</sup> *Meditationes*, VI (*B Op I* 784-786; AT VII 79, ll. 7-11).

<sup>2</sup> *Responsiones* V (*B Op I* 1194; AT VII 387, ll. 6-14).

De Cartesio

PERILLUSTRI

Et Amplissimo Viro

D. Joanni Jongelino, Protonotario Apostolico, Metropolitanae Ecclesiae

Mediolanensis Summo Poenitentiaro, etc. S. P.

*Mediolanum.*

Ita ne? nihil demonstrare Cartesius vult, sed mentem suam probabilibus suffulcire argumentis? Non tam vera, sed solum verosimilia tradere? Si hoc verum, totus meus labor cassus. Nec enim alias Ego vel verbum contra. Nam latissime patet probabilitatis arena, et quae olim improbabilia fuissent, vel unius Cartesii authoritas fortassis [sic] probabilia faceret. Non est hoc, Vir Optime, nostri Meditatoris intentum; non collineat huc tantus dictionis apparatus, nec tam acres Philosophorum dissensiones. Vult quidem ita meditari, ut omnia, quae vel labio proferat, vel stilo excipiat, evidenter persuadeat; ideo in Titulo, *Dei existentia, et Animae humanae a corpore distinctio, demonstrantur.* Nota bene. *Demonstrantur* inquit, non *Suadentur*, non *Probantur*. Et statim sub Libri initium, in Synopsi Meditationis suae secundae, *Forte nonnulli rationes de Animae immortalitate illo in loco exspectabunt, eos hic monendos puto me conatum esse nihil scribere, quod non accurate demonstrarem;* ideoque non alium ordinem sequi potuisse, quam illum, qui est apud Geometras usitatus, ut nempe omnia praemitterem, ex quibus quaesita propositio dependet antequam de ipsa quidquam concluderem<sup>1</sup>. Sed quia nos Demonstrationem fabricatur illas Positiones praemittimus (ideo Praemissa dictae) contra quas non urget ratio gravis, ut demonstrationes illae suae essent solidiores firmioresque, Cartesius excludit a Praemissarum loco, etiam illas contra quas obiici possit ratio vel levis; dixerat enim, *Mens quae propria libertate utens, supponit ea omnia non existere, de quorum existentia vel minimum potest dubitare, animadvertis fieri non posse ut ipsa interim non exsistat*<sup>2</sup>. Ergo Cartesio teste Demonstrationum suarum praemissae supra omnem probabilitatis aleam, constitutae in veritatis eminentia, ita sunt certae, ut de illis nemo possit, ne leviter quidem, dubitare. Meditationis I. numero 4. Sibi consonat; ait enim, *Ratio persuadet non minus accurate ab his quae non plane certa sunt atque indubitata, quam ab aperte falsis, assensionem esse cohibendam, satis erit ad omnes reiiciendas, si aliquam rationem dubitandi in unaquaque | reperero*<sup>3</sup>. Medit. II num. 12. *Nihil nunc admitto, nisi quod necessario est verum*<sup>4</sup>. Et Medit. V num. 15. *Nihil volo admittere, nisi quod clare et distinete*

(hoc est, evidenter) *intelligo*<sup>5</sup>. Et in Responione I. ad Gassendum, pag. 2. *Optime novit Vir ille* (Mersennus) *rerum omnium studiosissimus indagator, et eorum praecipue, quae spectant ad gloriam Dei promotor indefessus, nulla via melius cognosci posset, an meae rationes pro veris demonstrationibus habenda sunt, quam si aliquod ex iis qui doctrina et ingenio reliquos antecedunt, ipsas examinarent, ac totis viribus impugnarent; ut deinde fieret periculum, An Ego satis commode (sed deberet dicere, An Ego satis evidenter) ad omnia quae ab iis proposita essent, responderem*<sup>6</sup>. Accedit, quod asserente Gasendo [sic] in occasione scribendi num. III summos illos summae facultatis Doctores compellans praedicaverit *se fuisse rationes ita prosequutum, ut iam pro certissimis et evidentissimis Demonstrationibus illas ausus fuerit proponere: subiunxeritque etiam taleis esse, ut non putas ullam viam humano ingenio patere, per quam meliores inveniri unquam possint: ac denique solicitaverit, ut ipsas pro Demonstrationibus habentes, hoc ipsum declarare ac publice testari velint*<sup>7</sup>. Imo etiam, quod ad unum eiusdem scribere ausus fuerit, *Quapropter, si verum hic sine invidia scribere licet, ausim sperare venturum tempus aliquando, quo illa opinio quae ponit accidentia realia ut a ratione aliena et incomprehensibilis, et parum tuta in Fide (paulatim!) a Theologis explodetur, et mea in eius locum, ut certa et indubitate recipietur*<sup>8</sup>: et ad omnes, *Rationes illas suas non modo aequare, sed superare etiam Geometricas certitudine atque evidentia*<sup>9</sup>. ut idem Gasendus [sic] ibid num. 5. notavit, qui num. 2 communem Amicorum Parisiensium vocem affirmat fuisse hanc, *Fieri-ne potest, ut ille Vir Mathematicis studiis innutritus, et quae res Demonstratio sit tantopere sciens, eas rationes habeat evulgetque pro Demonstrationibus germanis, quae a nobis tamen adeo attentis, adeo bene animatis elicere assensum non valeant? An forte elatus, applausu, quo aliqua nova in Geometricis excogitavit demonstravit que eo adductus fuit, ut confideret, posse se circa cetera, ac Metaphysica praesertim paris esse foelicitatis?*<sup>10</sup> | Quibus et multa alia possem connectere, ni iudicarem haec esse sufficientia, ut evidenter constet, Cartesium, non iam topicas et vero-similes resolutiones voluisse proponere, sed tales quibus necessario teneremur adquiescere, nisi Demonstrationis et evidentiae clara numina, quibus litant Dialectici, contemnere videri vellemus, quasi decredere Cartesio esset religio. Casset igitur ille tuus scrupulus: et siquidem vides me clare demonstrasse, eum Demonstrationes certas et evidentes polliceri, si animadversiones legas demonstrari eum nihil demonstrasse fateberis, modo velis supponere Asserta sequentia, clariora luce meridiana.

Primum. Aliud est impugnare Evidentiam, aliud Probabilioritatem, aliud Probabilitatem. Patet; quia aliud est opinionem esse evidentem, aliud esse probabiliorem, aliud esse probabilem.

Secundum. Probabilis sententia (ago de probabilitate rationali; semel enim tantummodo Cartesius ab authoritate argumentatur; nimirum Med. II num. 24. Et tunc a vulgi) illa est, quae habet pro se rationes fortes. Corollarium I. Probabilitatem oppugnaturus, seu ostensurus opinionem non esse probabilem, non satisfaciet intento, si fortes rationes obiiciat, et probatur, quia has admittit probabilitas; cum enim dicimus unam opinionem esse probabilem, contrariam etiam probabilem fatemur. quam ob rem idem est dicere, *Haec sententia est probabilis*, ac dicere, *Haec et eius opposita sunt probabiles*, sive quod recidit in idem, *Pro utraque militant rationes fortes*. Corollarium II. Oppugnaturus sententiae probabilitatem, ut intentum obtineat, debet evidenter suadere, esse leves rationes sententiae quam impugnat; aut suas (*hoc est, sententiae oppositae*) demonstrativas. Ostenditur quia illa opinio non est probabilis, pro qua solum rationes leves; aut contra quam militant evidentes.

Tertium. Sententia probabilior illa est, quae pro se rationes fortiores et solidiores habet. Corollarium. Probabilioritatem impugnaturus debet ostendere oppositae opinionis momenta esse solidiora et fortiora; aut saltem alteri opinioni non cedere. Unde aut ostendet illam, quae probabilior dicta aut aequa probabilem, aut minus probabilem opposita. Patet; quia alias non opponeretur defendanti.

Quartum. Sententia evidens dicitur, cuius rationes sunt demonstrationes; hoc est, syllogismi ex praemissis per se notis conclusionem indubitatam inferentes. Corollarium. Triumphabit adversarius, si ostendat, aliquam praemissam rationis quae demonstrativa asseritur, esse aut falsam aut dubiam aut probabilem. Et suadetur, evidens enim est consequentiam sequi debiliorem praemissam, et ex dubiis falsis, aut probabilibus non posse inferri conclusiones, quae | praemissarum virtute debeant haberi certae et indubitatae.

Hinc patet paucos aut nullum hucusque sese directe opposuisse Cartesio; omnes enim, quos viderim, conantur ostendere illum falsa supponere, et hoc non semper poterunt demonstrare, illeque putans se commode (terminus est ipsius, ut vidisti superius) respondere, manebit in sua praescripta pertinacia. at ipse facillius et efficacius impraesentia cum impugnabitur. Rationes suas esse demonstrationes ait, nego Ego: ergo ipse tenebitur defendere easdem constare praemissis evidentibus,

inter quas nulla sit falsa, nulla dubia, nulla probabilis; et Ego contra tenebor ostendere inter praemissas illas dari; aliquam non-evidentem (hoc est, quae vel sit dubia, vel falsa, vel probabilis) quia si vel unam talem reperero, rationem illam non esse Demonstrationem evidenter ostendam; evidens enim est, ut iam iterum dixi, inter Demonstrationis praemissas ne quidem probabilem capi.

Tu igitur sincerum agens iudicem examina, An omnes illae propositiones Cartesiana, quas ab alvo Principiorum expungo, sint certae et evidentes; nam si vel una ex ipsis talis non sit, excursus demonstrativus non est.

Si dicas plurimas Assertiones a Cartesio in Meditationibus positas, quae in consequentiam nullum influxum habent, adeoque nec esse Demonstrationis praemissas, neque ipsam sua infirmitate enervare: dices id, quod concessum negatumve semper militet contra Cartesium. Nam si ipse demonstraturus dari Deum multa supposuit, quae ad rem non pertinent (id ipsum tu, tametsi aliis vocabulis) scopas dissolutas intermiscauit, quas expediret interlegere, et ab excursu expungere, ne disparatis aut contrariis elementis constare dicatur. An si nihil ipse posuit, quod non erat ad rem, omnia quae ibi posita influunt; cum ergo ex illis multa dubia, multa falsa, multa mere sint probabilia, imo multa omni probabilitate careant; et tamen consequentia partem debiliorem sequi debeat, concluditur positiones de Deo et Animo, tametsi alias certas et evidentes, a Cartesio non fuisse demonstratas.

Sta igitur, Optime Vir, communi doctrinae et sententiae, nec facile aliorum admovearis; illi enim qui authorum non examinat placita, placet errare. Alta mente rem pondera; et sive libeat adiudicari Satellitibus Cartesiani Planetae et a nobis toto coelo distare, sive in humili nostra remanere, regione, ut pote constanti et stabili; vive foelix, et annis quam plurimis Vale. Spirae Nonis Iuliis  
∞ DC XLIV.

*Per illustri et Amplissimae  
Tuae Dominationi  
Addictissimus  
Joannes Caramuel  
Lobkowitz*

<sup>1</sup> *Meditationes. Synopsis* (*B Op I* 694; AT VII 12, l. 16-13, l. 5).

<sup>2</sup> *Meditationes. Synopsis* (*B Op I* 694; AT VII 12, ll. 10-13).

<sup>3</sup> *Meditationes*, I (*B Op I* 702; AT VII 18, ll. 6-10).

<sup>4</sup> *Meditationes*, II (*B Op I* 716; AT VII 27, ll. 12-13).

<sup>5</sup> *Meditationes*, V (*B Op I* 770; AT VII 68, ll. 6-7).

---

<sup>6</sup> *Responsiones* V (B Op I 1144; AT VII 347, ll. 9-17).

<sup>7</sup> P. GASSENDI, *Disquisitio metaphysica. Seu dubitationes et instantiae: adversus Renati Cartesii, Metaphysicam et responsa*, Amsterodami, Apud Iohannem Blaev, 1644, *Occasio scribendi*, p. 6.

<sup>8</sup> *Responsiones* IV (B Op I 1022; AT VII 255, ll. 21-26).

<sup>9</sup> P. GASSENDI, *Disquisitio metaphysica*, cit., *Occasio scribendi*, p. 10.

<sup>10</sup> *Ivi*, p. 6.

De Cartesio  
CLARISSIMO VIRO D.  
Alberto Richardelio I. U. Licentiatu S.

*Romam.*

Nimis severus videor; et qui stare non possem, si similem censorem nactus! Sed ubi quaeso? In Metaphysicis, aīs, ubi multa praeter vulgares opiniones, et tamen non omnia demonstrata. Sed quid inde? Adeo-ne Ego insipiens, qui id ipsum aut nesciam aut dissimulem? Evidem Metaphysicas quaestiones tradidi; in quibus, si evidenter controversias deciderem, non Diputationes illas, sed Demonstrationes appellassem. Quaero, controverto, dispuo; et non solum Demonstrationes non polliceor, sed vel a me olim vel ab alio inveniendas despero. Ubi veritas non affulget, verosimilioribus adsentior, sententiam probabili ratiocinio confirmo, quod si non esse evidens et demonstrativum probare velis, conaberis rem factam, et meam confirmare sententiam; id enim ipsum teneo et assero. Si Cartesius concludere voluisset probabiliter, et Meditationes illas suas permitteret haberi topicas, pauci contra, nec tamen ego ex ipsis. Aut quia haberi Demonstrator voluit multorum animis a se excitatis trophyeum fuit. Cum ergo meam mihi obiicias Metaphysicen, ipsam ego reiicio, et Principia illa propono quae demonstrata haberi cupio; et an evidenter suaserim, quae postea malo supponere quam controvertere, severitati tuae iudicandum relinqu. Vale. Spirae.

*Tuae Clarissimae  
Dominationi Addictissimus  
I.Caramuel Lobkowitz*

De Cartesio  
ERUDITISSIMO D.  
Domino Ioanni Zunigaeo S. Theologiae Licentiato S. P.

*Gandavum.*

Litteras semper tuas libenter lego; sed ultimas, sincere dicam, non libenter. Authoritatis et nominis mei curam tibi adrogas, et magni facio; at ubi meo indignum calamo existimas argumentum propositum, mihi amice blandiris, sed Cartesii personae, et materiae sublimitati aperte detrahis. Duellum non iniri inter dispares asseris, nec examino; sufficit enim a Te adsumi, ut bene discussum dicatur, inter Laicum tamen Ecclesiasticumque privatum Studiosum et Professorem publicum, Civem et Ashtitem [sic] magnam tu differentiam, ego nullam, quae cadat sub iudicium, reperio. Hominem non cognosco: ut sit qualitate minor maior-ve; id enim nec quaero nec pondero: non configitur hic annis, officiis, stemmatibus, sed puro ingenio. Unde scis esse in me vel unam qualitatem, in qua aut simili non emineat Cartesius? Et si nescias, quem me maiorem non vis credere, inferiorem decrede. In arena non praecurrit nobilior, non vincit arcu senior, nec pila ditior; sed velocior, oculatior, agilior. Sic in amphitheatro Philosophico non coronantur opes divitiae famuli, dignitates, officia; sed una et sola intellectus vivacitas. Si esset purus intellectus, Cartesius omni gradu et dignitate destitutus adhuc mihi esset gloriae configgere cum Intellectu grandi; at et ipse optimas, ut audio, praerogativas et qualitates habet a sanguine, a fortuna, quas esset supervacaneum recensere. Cesset igitur tuus ille scrupulus, sciasque in academico pulvere de ingenii laureola pugnari? *Ille pollet eximio, et etiam ubi a vero deviat ab ingenio laudandus.* Hoc ipsum mecum iudicabis, si interlegas ipsius Medi | tationes, et Animadversiones quas trasmisi. Vive, vale; et me ita deligas, ut neminem propter Me contemnas. Spirae, Calendis Octobris ∞ DCXLIV.

Tuae eruditissimae  
Dominationi addictissimusque  
I. Caramuel Lobkowitz

[...] inventione veritatis diffidere.

Sed quia duplicitis Solis a Gemma depicti meminerim, lubet etiam recordari Cartesii, qui Meditationis III num. 17 duplarem etiam Solem describit, quem oculis opticis et philosophis placet examinare. Ait enim, *quamvis ideae illae a voluntate mea non pendeant, non ideo constat ipsas a rebus extra me positis necessario procedere*<sup>1</sup>, ... *ac denique quamvis a rebus a me diversis procederent, non inde sequitur illas rebus istis similes esse debere; quinimo in multis saepe magnum discrimen videor deprehendisse; ut, exempli causa, duas diversas solis idea apud me invenio, unam tanquam a sensi bus haustam, et quae maxime inter illas quas adventitias existimo, ex recensenda, per quam mihi valde parvus apparet: aliam vero ex rationibus Astronomiae desumptam, hoc est, ex notionibus quibusdam mihi innatis elicitem, vel quocumque alio modo a me factam, per quam aliquoties maior quam terra exhibetur. utraque profecto similis eidem Soli extra me existenti esse non potest, et ratio persuadet illam ei maxime esse dissimilem, quae quam proxime ab ipso videtur emanasse*<sup>2</sup>. Consonat sibi Medit. VI num. 17 multa paulatim experimenta fidem omnem, quam sensibus habueram, labefactarunt; nam et interdum turres, quae rotunda visae fuerant a longinquo quadratae apparebant e propinquuo; et statuae permagnae in eorum fastigiis stantes, non magnae e terra exspectanti videbantur; et talibus aliis innumeris in rebus sensuum externorum iudicia falli deprehendebam<sup>3</sup>. Videtur leguisse Anglum Epigrammatistam<sup>4</sup> qui libr. 3. epig. 107 sic adloquitur Solem,

*Phoebe bis octogies terra pulcherrime maior,*

*Innumerabiliter cum videare minor.*

*Qui mihi tantillo vermi, Sol tanto, videris*

*Tantulus, heu videor quantulus esse tibi?*<sup>5</sup>

et libri unici epigrammate 26.

*Proxima quod nostris sit, maxima Luna videtur*

*Sensibus, ex septem sit minima illa licet*<sup>6</sup>.

Et ego, sive conceptus inventus a Cartesio sit, sive ab Oweno sumptus, sive communi vulgarium hominum opinione firmatus, deprehendo, aut non esse in Philosophicis bene versatum, aut nolle loqui cum reliquis, ut habeat ex vocabuli abusu, ubi effugium quaerat. Sane sensus externi non iudicant, sed mere apprehendunt; adeoque haec positio *externorum sensuum iudicia falsa sunt*, est similis isti, *Angeli corporei sunt albi*; quia sicut nec Angeli huiusmodi, ita nec

huiusmodi iudicia dantur. Sola mens iudicat, et errat experientiae defectu, quo usque periculis suis cautior redditia non praecipitet sententiam, sed iudicandi solidas rationes expectet. |

Sensus non iudicare evidenter ostendo. Producatur Psittacus apprime doctus, et loquatur. Petrus, qui nunquam talem avem audivit, putabit loqui hominem; Joannes, qui scit dari tales volucres, quas homo imitetur, quae hominem imitentur, cum nihil videat sed solum auditum sequatur, dubitabit: tu qui Psittacum vides, illam vocem ab eo emanasse iudicas. Ecce tria diversa iudicia, et tamen eadem omnino vocis perceptio. Si auris iudicatura esset, siquidem in omnibus tribus eodem modo sentit, eodem etiam modo diiudicaret. Ergo iudicium ad mentem exspectat, quae sensationem praesentem cum praecedentibus componens, experimentis imo et praeteritis erroribus cautior diversimode in diversis discurrit.

Visus non iudicat de rerum magnitudine; nam licet puer oculi palpebra totum aedificium eclipset, non iudicabit illam isto maiorem. Vel si exemplum non placeat, manum ego meam dum haec scribo maiori intueor angulo, quam aulae portam; et tamen illam hac maiorem non iudicio. Nam visus videt, auris audit, et iudicandi officium soli menti relinquitur.

Speculum respicit canis, respicit puer, respicis tu; ille irascitur alteri cani, iste alteri puero adridet, et tu scis nec ibi esse puerum nec canem. Falluntur canis et pueri oculi, et non tui? Minime. Id ipsum quod canis, puer respicit; id ipsum quod uterque tu. Sed in cane deficit iudicium, ipse enim sensus sequitur: in puero experientia, iudicat enim sed male: at quia tibi et iudicium et experientia est, noscis radios refringi, et in speculo non alios, sed te ipsum puerum canemque videri.

Eburneum globum pingi in tabella curas, et Apelles felicissime naturam arte adsequitur. Similes sunt. Proponis Petro. Prototypus sphoericus est, ectypus planus nam in tabella pictus. Et Petrus duas vere eburneas sphoeras putat. Cur non duas sphoerae eburneae pictas imagines? Ex temeritate iudicii. Posita enim omnimoda similitudine, non esset, cur potius duos globos esse iudicaret, quam duas picturas. Ergo visus non falleretur, sed iudicium. Et hoc defectu experientiae aut forte considerationis. Quod et ab annis multis observavit Hispanus epigrammatistes (Valerium Martialem intelligo) libri enim primi epigramm. 110. Quod de Catella Publi est, sic inquit. *Hanc ne lux rapiat suprema totam, Picta Publius exprimit tabella. In qua tam similem videbis Issam, ut sit tam similis sibi nec Issa. Issam denique pone cum tabella. Aut utramque putabis esse veram, aut utramque putabis*

*esse pictam*<sup>7</sup>. Igitur in tali casu id ipsum oculi viderent cum Issam (tale Catellae nomen) quod cum tabulam. Ergo non esset ratio oculis ducibus, cur potius putares te duas videre tabulas, quam duas caniculas. Mens ergo deberet aliunde manuduci ne erraret. Non igitur iudicant sensus, sed mens. |

Constat ergo ex dictis figuram magnitudinemque non iudicari, imo nec percipi ab oculis, sed colorem; non figuram; quia tabella illa, in qua Apelles globum aut canem, pinxerat, plana est, et tamen oculus inter eam globumque aut canem differentiam non percipit: non magnitudinem, nam manum maiori angulo perspicio, quam portam et nihilominus minorem ipsa. Ergo si quis fallatur, nec imputare sensui debet, ipse enim nec iudicat, nec in causa ut homo male iudicet: imputet igitur, experientiae aut considerationis defectui; oculis enim non videtur sol parvus, videtur enim ille ipse qui est, et quantus est; non videtur esse parvus, quia oculus non iudicat; sed videtur parvo angulo. Quod si Ambrosinus dicat, *Sol parvo angulo perspicitur: ergo parvus est: Porta minori angulo videtur quam mea manus, ergo mea manus minor est. Homo mihi adstans et turris distans aequali angulo cernuntur, ergo aequales sunt.* Errabit quidem, sed sensus non erit in causa: quia et ego eadem video et aliud iudicium efformo. Errat quidem ille, quia eadem sensatio a duabus causis potest provenire, quarum ille unicum noscit, et ego utramque. Sensus in illo et me aequalis est, et error ille in mente residet, et nascitur ex puro notitiae defectu. Sensus esse aequalem in utroque constat ex utriusque discursu. Ambrosinus dicit, *Sol parvo angulo conspicitur: atqui omnia, quae parvo angulo conspicuntur, parva sunt: ergo Sol parvus est.* Ergo inquam, *Sol parvo angulo conspicitur; atqui omnia, quae parvo angulo conspicuntur, si multum distent, magna sunt: ergo Sol, qui multum distat, magnus est.* Consequentiae sunt oppositae, et maior in utroque eadem. Haec ergo iudicandi diversitas non nascitur a maiori, sed a minori. Ergo non nascitur a sensu, quia sensationis notitia in maiori est expressa: ergo nascitur ab inconsideratione et experientiae defectu, repertis in minore illius syllogismi, quo usus est Ambrosinus. Errat ergo Cartesius, cum existimat, aut sensus iudicare, aut ideas (species alij vocant) a rebus immediate haustas et sensui impressas, esse obiectis dissimiles, et in causa ut homines errant, erratque in utraque illa instantia, Solis parvi magnique ideas, et statuae propinquum et remotum adspectum componens. De idea sensibili ait Cartesius *esse per quam ipsi Sol valde | parvus appareat*, et nego talem illam. Nam per ipsam non appareat Sol parvus, ut nuper dicebamus, sed appareat ipse qui in coelis est, et totus quantus est, sed parvo angulo. Nec contra hoc aliquid me docet

Geometria aut Astronomia, idea enim illa, quae mihi Solem multis vicibus maiorem terra et multis semidiametris terrestribus ab ea distantem exhibit (haec est quae e rationibus Astronomicis desumitur) non exhibit illum mihi maior angulo, quam illa prior, sed eodem omnino.

Sed ex Astronomicis principiis duplarem ideam etiam reperio; alteram communem, tuam alteram. Communis eum quasi centum et sexagenta vicibus maiorem terra: et tua quasi mille quadringentis quadraginta; ipsi enim maximam parallaxin trium minutorum supponunt, tu vix unius: sed in tanto discrimine, nihil est quod petatur a visionis angulo, quia ipsissimus eis et tibi, supponitur, sed tota discriminis ratio a parallaxeos notitia perfectiore desumitur.

Tuum erit, Vir Optime, hanc et alias positiones nostri Cartesii recognoscere, ego enim maioribus implicatus negotiis sola ea adsumpsi, quae intento sufficere abunde iudicavi, forte plura iterum collecturus si spicilegium instituerem: tu vero a publicis curis liberior, eoque beatior quo a negotiis politicis remotior, totum te studiis feliciter impendis, et levare poteris si hunc novum Philosophum, qui olim inter Mathematicos Sydus, hodieque ambit esse Planeta inter Philosophos, acute et ingeniose oberrantem observes. Vale Vir Sapientissime; et Me, seu Belgium adliciat, seu retineat Germania, semper tuum, honora litteris, amore prosequere, et si desiderata occasio suppetat, etiam invise. Spirae Nonis Iulijs. ∞ DC XLIV.

*Clarissimae Dominationi Tuae  
Addictissimus  
I Caramuel Lobkowitz.*

---

<sup>1</sup> *Meditationes*, III (*B Op I* 732; AT VII 39, ll. 7-8).

<sup>2</sup> *Meditationes*, III (*B Op I* 732; AT VII 39, ll. 15-29).

<sup>3</sup> *Meditationes*, VI (*B Op I* 782; AT VII 76, ll. 21-28).

<sup>4</sup> John Owen (1564-1622), epigrammatico gallese citato anche nella lettera di accompagnamento delle *Animadversiones*.

<sup>5</sup> J. OWEN, *Epigrammata*, lib. III, 107.

<sup>6</sup> *Ivi*, lib. XI, 26.

<sup>7</sup> M. V. MARTIALIS, *Epigrammaton libri, Ex recensione sua denuo recognita*, Edidit F. G. Schneidewin, Lipsiae, Sumptibus et Typis B. G. Teubneri, 1871, I, 109, vv. 17-23.

[...] Multa praeter Philosophorum sensa, multa contro praescriptas Doctorum opiniones scripsimus, nec negamus; volumus enim nobis restitutionem multarum scientiarum deberi; et praecipue Dialectices, quam nostro labore promotam ne invidus quidem abnegaturus est. Non teneor novitatis amore, sed veritatis; et quia viae antiquorum concursu tritae in hanc non dirigunt, novas aperire summo labore debui, ut veritatem affulgentem adsequerer. Violavi, ut ais, iuniorum Philosophorum morem, consuetudinem veterem: nec diffiteor. Putaverint ipsi non licere a veterum vestigiis discedere, exscripserint quae asseruit Aristoteles sine delectu; ut oves ovem ducem, illum illi sequuti fuerint; per me stat: laudentur ab humilitate, obedientia, timore, nec invideo, nec examino an pusillanimes potius quam humiles vocari debeant; meum ego genium sequor, qui mihi noscendae veritatis intensissimum amorem ingenerat, non vero defendendi Aristotelem. Hunc non condemno, nam sine ipso nunquam eo pervenissem, ut illum possem impugnare: laudo, non sequor, nisi ubi non errasse cognosco; et ne reus consuetudinis violatae agar, Iuris Canonici Distinct. XVIII. Cap. IV. lego, et audio Augustinum dicentem, *Veritate manifestata cedat consuetudo veritati, plane respondeo, quis dubites veritati manifestatae debere consuetudinem cedere? Item: Nemo consuetudinem ratione et veritati preeponat: quia consuetudinem ratio et veritas semper excludit*<sup>1</sup>. Et cap. 5 ex Gregorio: *si consuetudinem fortassis opponas advertendum quod Dominus dicit, Ego sum veritas et vita. Non dixit, ego sum consuetudo, sed veritas. Et certe (ut Beati Cypriani utamur sententia) quaelibet consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda, et usus qui veritati est contrarius<sup>a</sup> abolendus*<sup>2</sup>. Plus ergo rei litterariae profui contra Philosophorum communes opiniones audendo, quam coaetanei sine delectu sine examine veterum subscribendo sententiis. Forte ulterius promovebitur haec scientia futuro posterorum labore, sed et hoc ipsum mihi erit laudi; gaudeo enim praescriptos terminos prorogasse et posteris praebuisse exemplum, ut illos ipsi adhuc ulterius prorogent, et facilitando methodum totam hanc scientiam ad paucissimas easque verissimas leges reducant. Hoc tamen fieri cautius desidero, quam a Cartesio factum; qui novam viam aperuit, non tamen quam secure terere amator veritatis possit. At illa, quae nova methodo tradidit, novo etiam argumentandi modo impugno; ne videatur novitas ipsa quae in pretio est, in decrepitam refutationem verti. In utriusque Meditationes perlege, et pro ingenii tui

---

<sup>a</sup> Da suetudo a contrarius: becquet a stampa con annotazioni mss. Trattasi di stralcio da un esemplare del *Corpus juris canonici*, dist. XVII, cap. 4 e 5.

vivacitate iudica; et maximi Cartesium faciens disce esse rem difficillimam vel unam demonstrationem texere. Conatus est multas protrudere in scholam Cartesius, quas falsitatibus laborare deprehendimus et nostras edituri, ut eadem illas cura examines obnixius exoramus. Vale Francofurti ad Menum 10 Kal. Februar ∞. DC. XLV.

Joannes Caramuel Lobkowitz.

---

<sup>1</sup> Cfr. AURELIUS AUGUSTINUS, *De Baptismo Contra Donatistas*, III, 6, 9 (PL 43, 143; CSEL 51, 203, ll. 18-21).

<sup>2</sup> Citazione tradizionalmente attribuita a Gregorio VII (1010/2020-1085).

De Cartesio

ILLUSTRISSIMO<sup>a</sup>

ac excellentissimo Domino,

D. BERNARDO - IGNATIO

S. R. I. Comiti a Martinitz. Domino in Hagensdorff et Croluj S. Caes. Maiestatis Consiliario actuali et Camerario in Regno Boemiae Locum-tenenti, Judiciorum Assessori, Appellationum Praesidi, et Carolinae Universitatis Protectori, etc. S. P. Pragam

Mitto ad Te, Comes excellentissime, Cartesij Meditationes Metaphysicas, curiose discussas et examinatas. Cartesij inquam, quo in Geometricis scientiis nullus maior, et nullus ingeniosior in Physicis. Mitto, inquam, suspectas a doctissimis, et a doctissimis despectas.

*Pro captu Lectoris habent sua fata libelli.*

*Sive bono scripti, sive colore malo<sup>1</sup>.*

Discursus elumbis et inanis, si propositus pluribus, tametsi eximiis, placebit necessario non-nemini; et sublimis alicui displicebit. nam praeter conspirationem impossibile, ut ingenia diversa in eamdem sententiam conspirent; quod videntur alte animadvertisse veteres Synagogae Antistites; nam in Thalmudo lego. *Condemnatus a pluribus plectitur, Condemnatus ab omnibus absolvitur.* Quasi supponerent esse impossibile, ut una sit secreta omnium Senatorum sententia, si a dictamine; debereque haberi de conspiratione suspectam, quae uniformis. Sed neque ubi est eadem sententia, est idem sententiae iudicium, Sacrae Scripturae eadem verba nonnunquam Iudaei, Catholici, Lutherani, et Calvinistae admittunt; et tamen in significatione dissentiant [Epistola 222, quae est ad Consentium Augustinus, *Intellectum valde ama, quia ipsae scripturae sanctae, quae magnarum rerum ante intelligentiam suadent fidem, nisi eas recte intelligas, utiles tibi esse non possunt.* Omnes enim haeretici, qui eas in autoritate recipient, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores: ac per hoc, non quod eas contemnant, sed quod eas non intelligent, haeretici sunt]<sup>2</sup> Convenimus Catholici in eisdem Articulis fidei, sed quoad substantiam; acriter enim circumstantias et modos discutimus et

---

<sup>a</sup> Becquets mss in alto, accanto alla ceralacca, di cui uno mutilo.

ventilamus. Nominalis, Thomista, Scotista, Libertinus eadem Fidei dogmata, et tamen ex motivis diversis, et adversis non raro. Anglus Poeta

*Papistam Quintus nuper se reddidit, et se  
Denique Papistam iam profitetur Orus.  
At quam diversis victi rationibus! Illi  
Haec aetate Fides, huic novitate placet<sup>3</sup>.*

Sed et diversa nonnunquam Corollaria ex eodem dogmate. Potentiam Dei esse infinitam Christiani universi tenemus; et si roges, An possit Deus producere infinitum? negabit Petrus, asseret Paulus, et hoc ex eodem fundamento. Considera hos discursus. Primus sit, *Omnipotentia est infinita; ergo potest producere infinitum. Patet consequentia, quia potentia debet proportionari obiecto possibili debetque tantum se extendere active, quantum illud passive: atqui active est infinita, ergo et obiectum est passive infinitum. ergo potest infinitum fieri.* Secundus. *Omnipotentia est infinita; ergo non potest producere infinitum. Patet consequentia. Quia potentia infinita exhauriri non potest; quod enim exhaustur est finitum: atqui exhaustur si produceret infinitum (puta, innumeros homines) ergo producere infinitum non potest. Minor probatur. Quoniam praeter infinitos homines non datur homo, qui possit produci<sup>b</sup>.*

Cum igitur tale sit humanum iudicium, mirum non est, si Viris Magnis (alii omnes a suffragio exclusi) non aequa placeant, quae leguntur. Cicero et Plutarchus omnium iudicio Magni, veloces ingenio, subtile, acuti, sedati; et tamen eadem Timaei verba oppositis iudiciis perstringunt. Dixit ille *minime mirandum, qua nocte natus fuit Alexander, Ephesiae Diana templum deflagravisse; quod Diana Olympiadi parturienti adsistens, domo abfuerit*<sup>4</sup>. Eadem Ciceroni concinna; eadem Plutarcho tam frigida, ut vel ipsis immane illud incendium potuerit facile sedari. Poëta Graecus, tametsi ad miraculum eloquens, Homeromastigas passus. Lego in Seneca, Ovidium solicitatum ab amicis, ut tolleret tres Homeri versus, invicem petiisse, ut et ipse tres etiam exciperet, in quos illis nihil liceret. Aequam omnino legem visam. Secreto illos, quos tolli vellent, exscripsisse; hunc, quos non tolli: et (mira res!) in utrisque codicillis eosdem versus repertos. De Martiale non nihil dicturus essem, ni de Hispano; sileam, loquatur orbis, omnium enim iudicio festivus et subtilis fuit; at Andreae Naugerio nobilissimo et doctissimo Viro, asper, stolidus, languidus,

---

<sup>b</sup> Da eodem fundamento a produci: becquet ms.

stupidus; imo et ritu solenni anniversario die, qui Musis Naugerianis sacer, flammis devotus, ut innotesceret debere pluries uri, qui pluries erraverat. Persum laudamque universi, et tamen illum igni tradidit D. Hieronymus quod nimis obscurus intelligi facile non posset. Ita Jacobus Pontanus libro de scribendis et rescribendis Epistolis cap. 9. in scholiis. Cicero Antistes eloquentiae omnium sententia. Cum tanti Julius Caesar suos ipsi de lingua Latina Commentarios inscripserit; et M. Terentius Varro, ut sua de eodem argumento scripta volumina ad eum miserit, ut approbationem eluderet aut extorqueret. Igitur Tullius, quantus est, stupidus et levis asseritur a Politiano. Epistola I. libri I *de Cicerone prorsus silendum esse*, ait, *in epistolari stylo*. Et in alia quam Paulo Cortesio inscripsit, Ciceronianos despicit; non tamen impune; quoniam in alia epistola edita ab eodem Cortesio, refutatur. Sed nec Roterodamensi Erasmo placuit Cicero<sup>c</sup>; nam in Dialogo nobili, cum ipse, tum eiusdem asseclae et imitatores vapulant. Dum haec scribo habeo pree oculis de Plauto amicum iunioris iudicium. Nec miror quod vir eruditus doctum laudet, quem ab acuminibus commendant ipsi libri; non autem sine admiratione lego istud Tristicum; *At vestri Proavi, Plautinos et numeros et Laudavere sales; nimium patienter utrumque, ne dicam stulte mirati*. Sic inquit Horatius ad Pisones, et tamen ipse prudens et eruditus fuit<sup>d</sup>. Ioannes Trithemius raro ingenio fuit praeditus, a Comite Palatino defenditur, a Bovillo oppugnatur, et tamen uterque doctus fuit. Christophorum Longolium Paulus Manutius epist. 4. libr. 1. Ludovicus Vives de conscribendis epist. M. Antonius Maioraque. Comment. in orat. perf. sub fin. vituperant, Bartholomaeus Riccius de imitatione libr. 2. et 3. et alij acerrime defendant et laudant. Bembus virorum illustrium opinione illustrissimus Iusto Lipsio viro magno non placet [...]<sup>e</sup> tametsi Angelus multorum sententia eloquentissimus, quod contempserit Tullium, vilipenditur a Jacobo Pontano, scholio capitinis LXIV. claudente his verbis, *qui mihi Ciceronem contemnit, cur ego ipsum ulla laude impertiendum existimem?* Et Capite LXII dixerat; *Legimus eruditii cuiusdam libellum, qui magnopere dolet, se adolescentem olim Politiano propter subtiles et argutas sententiolas et quosdam flosculos nimium adhaesisse. Inde se aridiorem factum cum natura parum uber esset, mox inanes illius argutiolas dediscere debuisse. Senex iam Tullium in oculis fert, quem solum ex omnibus imitandum iudicat.* In Tassi Poëtae Itali laudes omnes

<sup>c</sup> Da cum tantis Julius a Cicero: becquet ms.

<sup>d</sup> Da nam in Dialogo a fuit: becquet ms.

<sup>e</sup> Parola illegibile.

efundimur [sic]; et tamen Crusca (nomen Academiae est, a furfure quod italice sic nominatur, dicta, quod cribrandis et examinandis sublimium scriptorum operibus desudet) in eum prolixo semel et iterum exarsit, et numerosas invectivas prodidit. Omnia mortalium felicissimus [sic] Erasmus Roterodamus fuit, *Cui soli licuit scribere quod voluit*, Magnus apud multos audivit; et tamen Pontanus in operis citati auctario ipsique<sup>f</sup> meminit, aitque? *Haud se fallere, quanta sit apud plerosque Erasmi nomen in gloria, qui etiam nullo intercedente Senatus-consulto Magni cognomentum illi indiderunt: sed sibi eos videri in summo errore versari, et apertis oculis caecutire.* Nec innominatum relinquam Petrum Ramum, qui in illustrissimorum hominum opinione illustrissimus, laudatus et commentarijs illustratus a plurimis et scholae Ramae et Institutior, Ursino ita displicuit, ut eius doctrinam tam esse veram, quam haeresei et errores affirmet. Videatur specialis discursus [num. .] [sic] quem scripsi utramque scholam conferendo. Quanti Thyconem omnes Astronomi, quanti Principes fecerint, quanti nunc faciant, norunt omnes, qui sciunt utiliter in Sydera tollere vultus, et tamen Claromontio, Viro doctissimo Astronomiae corruptor est; ne duriora adnotem, quae in Anti-thycone leguntur. Lipsius, tametsi Iustus, a multis cultissimis calamis carpitur; et Puteani nostri suavitas et eloquentia, eruditio professoribus multis nimia, imo et affectata videtur.

Sed et ego, ne me qualemque (parvum, magnum) ab hoc oceano procelloso subtraham, Tibi Viro Maximo et Doctissimo dignus qui legar, et qui diligar; Summis Europae Principibus summos favores debo, etiam extra Europam ab amicis honoror; et tamen in multis etiam videor non placuisse eruditis. Contra Philippum unum (liber est quem crudelius oppugnant Lusitani) tot libri scripti, ut vel tantillus sim, qui a multis vapulem; vel tantus, qui impetri non possim nisi a multis. Prodierunt

---

<sup>f</sup> Da tametsi Angelus a ipsique: becquet ms.

<sup>1</sup> Citazione latina comunemente attribuita ad Orazio, ma appartenente a Terenziano Mauro, grammatico latino vissuto fra il II e il III secolo d.C. Cfr. TERENTIANUS MAURUS, *De Litteris, syllabis, et metris*, I, v. 1286.

<sup>2</sup> Cfr. AURELIUS AUGUSTINUS, *Epistola CXX*, 13 (PL 33, 459; CSEL 34.2, 716, ll. 4-10; CCSL 31 B, 153, ll. 289-295).

<sup>3</sup> J. OWEN, *Epigrammata*, lib. IV, 202 (*De Quinto et Oro*), vv. 1-4.

<sup>4</sup> M. T. CICERONIS, *De natura Deorum*, II, 27, in *M. Tullii Ciceronis Opera philosophica [...]*, vol. II, Londini, Curante et imprimente A. J. Valpy, A. M., 1830, p. 932.

EXIMIIS

Et sapientissimis Viris,

P. Adriano Crommio

P. Ioanni de Ionghe

P. Ignatio derkennis

P. Ludovico de Schildere

P. Francisco de Cleyn,

Societatis Iesu,

S. Theologiae Professoribus, S. P.

*Lovanium*

Veteri confidens amicitiae, etiam Speculationes has transmitto, securus eadem a vobis benignitate exceptum iri, qua omnes meas. Contemplationes sunt mentis otiosae, in ipso itinere secundum littora Rhenana conceptae; ad remorum fragorem, clangorem cornuum, inter spumam pulveremque navium et curruum elimatae. Instituuntur ut Demonstrationes Cartesiana severe examinentur, sciaturque utrum debeant tam grandi insigniri vocabulo. Multa in Animadversionibus meis satis scrupulose discussa, sed inter plurima quae omisi, occurrit sextae Meditationis periodus, quam debo vobiscum recognoscere. *Est quidem in me*, ait num. 26 *passiva quaedam facultas sentiendi, sive ideas rerum sensibilium recipiendi et cognoscendi, sed eius nullum usum habere possem, nisi quaedam activa etiam existeret, sive in me, sive in alio, facultas istas ideas producendi vel efficiendi. Atque haec sane in me ipso esse non potest, quia nullam plane intellectionem praesupponit, et me non cooperante sed saepe etiam invito ideae istae producuntur: ergo superest ut sit in aliqua substantia in me diversa, in qua quoniam omnis realitas vel formaliter vel eminenter inesse debet, quae est obiective in ideis ab ipsa facultate productis, vel haec substantia est corpus, sive natura corporea, in qua nempe omnia formaliter continentur, | quae in ideis obiective: vel certe Deus est, vel aliqua creatura corpore nobilior, in qua continentur eminenter. Atqui cum Deus non sit fallax omnino manifestum est illum nec per se immediate istas ideas mihi immittere, nec etiam mediante aliqua creatura in qua earum realitas obiectiva non formaliter sed eminenter tantum contineatur<sup>1</sup>.* Ergo proveniunt ab aliqua creatura in qua continentur formaliter. Existunt igitur res materiales.

Hanc demonstrationem Ingeniis totius Europae Cartesius proponit enucleandam, et ego tam longe a demonstrationis eminentia remotam hanc rationem demonstratus sum, ut ne quidem probabilis mensura sit.

Primo Sensus esse facultates passivas non est principium per se notum. Multi enim probabiliter existimant esse facultates activas, et sensationem in actione consistere. Et praecipue si agatur de communi et aliis interioribus, qui non patiuntur immediate ab obiectis, sed videntur recepturi ideas (Sic vocat Cartesius species) ab externis productas: suasunque externos esse productivos.

Secundo, Si visus est pura passio, et facultas visiva est passiva potentia, sequitur et intellectum esse virtutem passivam, et intellectionem in passione consistere. Concedit consequentiam Cartesius, et praecipue tota Meditatione III. ubi ideo vult probari Deum esse, quia Dei idea a nullo praeter ipsum produci potuerit et menti humanae infundi.

Sane si semel admittatur intellectionem esse virtutem passivam, novis Meditationibus indigebit Cartesius, ut Trinitatis mysterium, quod firmiter credit non infirmet. Si enim ad intellectionem verbi productio necessaria non est, nec ad intellectionem infinitam infiniti verbi productio. Ergo non datur verbum in divinis. Probatur consequentia, quia illud, si datur, debet esse necessarium, non liberum contingens; atqui eiusque processio necessaria non est, imo superflua est; ergo illud non est; Deus enim contingens aut superfluus non est. Pro I batur minor, quia vel illa intellectio generat Verbum qua intellectio est, aut qua divina. Non qua divinina; ergo qua intellectio: ergo, si qua intellectio omnis intellectio Humana et Angelica mentis verbum producit: ergo, siquidem asserente Cartesio eodem omnino modo de visione spirituali et corporea philosophandum est, verbum oculi, seu expressa obiecti qualitas etiam in visione producitur. Probatur minor. Quia si intellectio illa qua divina esset generatio, etiam volitio seu spiritus Sancti productio esset generatio, ipsa enim etiam divina est. Confirmatur; nam si ratio formalis, ob quam murus est disaggregatus visus, est albedo, certum est quamcumque substantiam albedine praeditam esse similiter disaggregativam: ergo, si ratio formalis ob quam intellectio illa non solum activa sed etiam generativa, aut potius actio et generatio est, asseritur esse divinitas, omnis obiecti intentionalis consequutio, si divinitate praedita, erit etiam actio et generatio: divina ergo volitio erit generatio ponderis, adeoque et pondus seu Spiritus Sanctus erit filius.

*Tertio* si cognoscere est pati, etiam velle est pati. Admittet procul dubio Cartesius, qui velle et nolle existimat esse iudicare, et electionem cum iudicio confundit, Meditationis enim II. numero 17. sic inquit, *Quid igitur sum? Res cogitans. Quid est hoc? Nempe dubitans, intelligens, affirmans, negans, volens, nolens, imaginans quoque et sentiens*<sup>2</sup>. Ecce velle et nolle cogitationi attribuit, ac si idem esset affirmare quod velle, negare quod nolle. At clarior Meditationis IV. numero 12. ibi enim libertatem exponens cum iudicio coincidere existimat, ait enim, *Tantum in eo consistit, quod idem vel facere vel non facere (hoc est affirmare vel negare, prosequi vel fugere) possimus; vel potius in eo tantum quod ad id quod nobis ab intellecta proponitur affirmandum vel negandum, sive prosequendum vel fugiendum ita feramur, ut nulla vi externa nos ad id determinari sentiamus*<sup>3</sup>. Et Meditationis III numero 11. dixerat, *Quaedam ex his (ideis) tanquam rerum imagines sunt, quibus solis proprie convenit ideae nomen, ut cum homine, vel chimaeram, vel coelum, vel angelum, vel Deum cogito; aliae vero alias quasdam praeterea formas habent, ut cum volo, cum timeo; cum affirmo, cum nego; semper quidem aliquam rem ut subjectum meae cognitionis apprehendo, sed aliquid etiam amplius quam istius rei similitudinem cogitatione complector: et ex his (ideis) aliae voluntates seu affectus, aliae autem indicia appellantur*<sup>4</sup>. Ecce sibi semper Cartesius similis velle et nolle et volitiones reliquas attribuit intellectui. |

Et quidem si velle pati sit, impossibilis omnino est Spiritus Sancti in divinis processio, et in humanis indifferentia libertatis. Ostendo divini ponderis impossibilitatem, quia ipsum non passive sed active producitur. Quod si dicas volitionem cum primum in divinam etiam in activam transire, eisdem rationibus, quibus divinae intellectionis activitas, poterit volitionis divinae activitas oppugnari. Si autem velle et nolle actus mentis sint, tametsi in divinis activae, cessat ratio Trinitatis, et occurrit Dualitatis habendae, quia omnes actus pure mentales quotquot in Deo concipere volueris, bene possunt intelligi sine Spiritu Sancto.

Ut contrahamus alas et paulatim ad nos revertamur voluntatem esse passivam potentiam olim tenuit Lutherus, et ab ipsismet Lutheranis creditur delirasse. Chemnitius in examine Concilij Tridentini conatur suum Magistrum defendere et eluere maculam ut asserit a Concilio viro innocentis afflictam; tam aliena enim in Chemnitij sententia a ratione passiva voluntas, ut vindictias scripserit contra eos, qui Lutherum de hoc errore appellabant. Fuerit Lutheri aut non, viderint alij, videtur tamen esse Cartesii, et tamen est condemnata in Tridentina Synodo ubi lego

anathematizari, qui dixerint *liberum hominis arbitrium esse quid inanime et tantum passive se habere*.

Praeterea, quidquid sit de Tridentini mente, licet meo iudicio satis clara, passiva libertas dari nequit. Species enim, idea, aut quocumque alio nomine placeat vocare voluntatis actum, quem pondus Augustinus appellat, substantia in me non est, ergo vel est qualitas ut omnes fatentur, vel solummodo entitas aliqua modalis si creditur nostro Cartesio. Ergo, siquidem contra Cartesium agimus, esto modus. At ipse nequit esse sine subiecto, sessio enim sine sedente et motus sine re mota conservari non potest. Ergo non potest dari volitio, quae non sit actualiter recepta in voluntate; ergo ex hypothesi quod ipsa sit, recepta necessario est. Tunc sic. Actus voluntatis non est mihi liber qua producitur; quia vel non producitur a me, vel si a me, producere non est velle: atqui neque est mihi liber, qua recipitur, quia semel producto receptio necessaria est: ergo mihi liber non est, libertate inquam quae necessitati opponatur. Ergo ut plurimum erit mihi liber libertate a coactione, quam non sufficere vel invito Luthero et Calvinio tenet Romana Ecclesia. Ergo ex his omnibus colligitur esse evidens hoc

*Assertum I.* nimirum, *Errat Cartesius cum supponit tanquam per se notum sensus esse facultates passivas.*

At detur ipsi hoc, quod iure aut iniuria sibi accersit, et nihil demonstraturus est. Hic syllogismus, *est in me passive sentiendi facultas; atqui nullum illius usum habere possem ni daretur et facultas activa quae ideas produceret: ergo datur huiuscemodi activa facultas*<sup>5</sup>. Condonavimus maiorem esse per se notam, an et condonaturi minorem? Sane si condonamus omnia, nostra nos triumphabit liberalitas, non Cartesiana fortitudo. Probabilissimum est modos non fieri sed resultare, nam ad relationem non datur per se motus in communi sententia, et tamen ipsa multorum iudicio plus realitatis quam modus habere dignoscitur. Modi quidem et Relationes non iam produci sed pullulare aut resultare dicuntur, non enim datur causa quae illos vel illas directe faciat, licet detur quae faciat aliquid quo posito ipsaemet resultant. Nam sessio non producitur ab aliqua facultate activa, sed resultat posito motu locali, qui ubicationem, quam sequitur sessio, producit. Hinc igitur sit.

*Assertum II.* *Errat Cartesius, per se notum existimans, modos ab aliqua activa facultate produci.* | Sed ne avari videamur, condonemus totum syllogismum viro bono et amico; non dum torquemur aut timemus. Subsumit, *Datur activa ideas producendi facultas: ergo vel in me ipso, vel in Deo, vel in obiecto. Sed non in me*

*ipso, non in Deo, ergo in obiecto. Ergo praeter me Deumque, dantur obiecta materialia.* Dicam dari in me ipso, et contrarium videbo demonstrari. Primo autem Cartesius argumentatur sic. *Omnia quae a me fiunt intellectionem praesupponunt; Idearum productio nullam plane in me intellectionem praesupponunt [sic]: ergo a me non fiunt.* An-ne maior evidens? Et si non, sit evidens

Assertum III. Errat Cartesius per se notum asserens omnia, quae ab homine fiunt, intellectionem praesupponere. Multa enim homo necessario operatur nulla cognitione aut advertentia praevia. Facultas activa, quae in ipso, cor movet, sanguinem circumducit, spiritum trahit et expellit, omnes et singulas corporis partes active nutrit, et tamen ante omnem cognitionem. Esset verum Cartesianum assertum, si de actionibus liberis disseretur, sed qui diceret ideas ab homine ipso produci, non vellet eas produci libere sed necessario. An-non apud Peripateticos valde commune dari duos intellectus (re aut ratione distinctos) agentem et patientem, quorum prior species producat, et recipiat posterior? An intellectus agens speciem producit intelligendo? Nullo modo.

Vidit hanc instantiam Cartesius non satis stricte concludere, et illi adiutorium simile subiunxit. Arguit enim sic, *Omnia, quae a me fiunt, fiunt me cooperante: sed hae ideae me non cooperante fiunt: ergo a me non fiunt.* Et est idem per idem, maior enim illa aequivalet huic, *omnia, quae a me fiunt, a me fiunt.* Quae vel a Pagano concederetur, sed minorem omnino negaturo.

Sed quia haec ratio erat debilis, ne Demonstratoris gloria excideret, tertiam etiam adhibuit, et discurrit sic. *Nihil producitur a me, me invito; sed saepe etiam me invito ideae istae producuntur: ergo non producuntur a me.* Maior ipsi per se nota est, an etiam nobis? Sane nobis est evidens

Assertum IV. nempe, Errat Cartesius per se notum existimans nullam rem produci ab homine ipso invito. Errat quidem, quia vel te invito omnes internae facultates sua officia exercebunt; non enim a tua libertate dependet naturalis earundem operatio; quas tametsi nonnunquam vi impedire, nunquam arbitrio possis.

Videris igitur, quoties labatur noster demonstrator, quoties in prima bonarum litterarum principia et fundamenta impingat, ubi videri vult evidenter procedere. Sed ut detur has ideas rerum corporearum, quae in homine, ab illo non procedere, non convincitur dari res ipsas, quid enim impedit ideas illas divinitus infundi a Deo? Sed Cartesius insurgit. *Deus non est fallax; atqui esset fallax, si per se immediate, aut mediante aliqua creatura in qua earum realitas obiectiva non formaliter sed*

*eminenter contineretur, huiusmodi ideas produceret: illas igitur non producit Deus<sup>6</sup>.*  
Nego assumptum, et contra ille inquit, *Omnino manifestum est.* Sit igitur

*Assertum V. Errat etiam Cartesius omnino manifestum affirmans non posse Deum sensibus species rerum non existentium infundere.* An-non saepe Angeli ab hominibus corporeis oculis sunt visi? Non-ne Tobias iuvenem splendidum stantem, praecinctum et quasi paratum ad ambulandum (Tob. 5. 5.) invenit, et ignorans quod Angelus Dei esset, salutavit eum, colloquentem audivit, ambulantem vidit; cum tamen nullus iuvenis esset? Quis ideam illius iuvenis in oculis Tobiae producebat? Non-ne Deus, qui fallax non est? Igitur non est fallere aut mentiri species rerum non existentium oculis humanis infundere. Ergo sicut (Tob. 12. 19) videbatur illis iuvenis adesse, manducare, bibere, loqui, discurrere, cum tamen non solum nec manducaret, nec biberet, nec loqueretur, nec discurreret, imo nec esset (ille enim qui iuvenis videbatur, res corporea non erat) quid vetat, quod Deus possit facere quod nulla sit terra, nullus aëris, nulla aqua, nullus ignis, nullus aether, nullum animal, nullus homo; et tamen multi mihi Raphaëles adsistant, qui putentur iuvenes, et mecum comedere, bibere, interagere, et conversari videantur? Igitur a Cartesio res corporeas dari demonstratum non est.

Hunc placuit, Viri Eximij, discursum Cartesij discutere, ut clare et distinete videatis eum adhuc multis dubiis admissis nihil concludere etiam in materia clarissima, quam nemo prudens in dubium revocarit. Si dari res corporeas ab ipso demonstratum, etiam demonstratum simul est veteres iunioresque Demonstrationis essentiam ignorasse; sed hoc nimis dissonum, Cartesianos excursus esse evidentes negative, eo sensu quo non semel exposui. Vos, si lubeat librum ipsum relegite, et si aliquid non iam demonstrative, sed fortiter concludi videritis mihi suggerite, vir enim iste licet Geometra, et quid Demonstratio ipsa sit maximopere sciens, sui obliviscitur et quid Demonstrationis intelligendum veniat nomine, cum primum Geometriae limites egreditur, omnino ignorat. Forte aliud est esse ingeniosum, aliud cautum. Utraque Ptolemaeus prerogativa praeditus, Cartesius prima. Mathesi ille operam diligentem navans, mentem suam a Theologiae et Physicae meditatione abduxit, quod illam nimis sublimem, hanc nimis humilem instabilemque iudicaverit. Libenter audivit sutorum Apelles, sed quandiu de crepida; vestes enim non subeunt iudicium sutoris, sed sartoris. Dixit alicubi Laurentius Valla *Grammatico animati suberbius nullum*, et ut video etiam lineae sunt grammata, et Grammatica linearum contemplatio. Sed et Grammatici, superbi licet, Geometris nonnunquam exemplo.

Erat quidem meo tempore Salmanticae bonarum literarum Professor (Sic linguae Latinae Institutores audiunt ne invidiam Grammatici nominis incurant) Vir quidem in suo Prisciano non mediocriter doctus, tantus ut et carmina promeret se iudice ornatiora et acutiora Virgilianis. Praelegebat discipulis tridentinum Concilium, librum quidem satis eloquentem et utilem, non modo moribus, sed et labio formando; et quia in latinitate videbatur universos excellere, a frequentissima iuventute audiebatur. Eius eloquentiam atque docendi magisterium laudari et commendari saepius audientes primarij theologiae professores decreverunt semel aut iterum ipsum accersere aut adire; et tamen occasione suborta ni sua videretur singularis curiositas, duos alias Complutenses doctores | , suos hospites, simul conducunt. Aditurientibus Summarius aliqui adiuncti, quorum praesentia nos solum nimirum, sed et autoritatem auxit. Ingrediuntur eloquentes Athenas, Clarissimumque virum reperiunt definitiones obscurissimas de causis Iustificationis explicantem. Adsurrexit hominibus Grammaticus urbanus et comis intrepidus tamen coram Theologiae Doctoribus progreditur et ait. [De Iustificatione sublimissima, necessarissima et obscurissima, materia multa theologi eloquenter, solide et erudite. Nam Augustinus eximiarum victoriarum pugil, libris integris de gratia scriptis, ita dilucidavit controversiam, ut nihil omisisse videatur. S. Thomas vestigiis eiusdem Divini Praeceptoris insistens, certissimas illas sententias reduxit in ordinem, et theologicē tradidit. Sequuti Scotus, Durandus, Caietanus, Molina, Suarius, Vazquius, et alii; omnes gygantes, universi Atlantes firmamenti Theologici, fulmina adversus Haeterodoxarum deliria. Multa quidem de singulis dictum ne nimius videri timerim. Tantus illorum minor, ut laude non egeat. Caeterum quia in obscuris materiis via tutior et securior adeunda, quidquid sit de placitis Magnorum Hominum, nos viam inibimus, quae nemini mortali displiceat. Multum dicturus sum. Doctissimus fuit Augustinus, et tamen in ipsam disputatione gratiae scripsit multa quae absurdā Manichaeis, Donatistis et Pelagianis visa. Multa etiam S. Thomas quae Augustino contraria, multa quae reprehenduntur ab Scoto. Non potuerunt ipsi, tametsi | ad miraculum docti, universis placere, vix enim mortali concessum ut positionem statuat quae a nemine negari possit. At nos re clarius examinata thesim dabimus, quam nemo neget.] Pendebant ab eius lingua auditores theologi, Grammaticumque sese nil Augustino praeferentem, nam Daedalum nos [sic] ipsi sciebant Icarum exspectabant; ille tamen imperterritus sic ulterius affatur [Dabo, inquit, positionem, certam, ratam, verissimam; quam sine formidine admittatis, cui vobiscum Gentilis, Ethnicus,

Iudaeus, Christianus, et Heterodoxi sine fuco, sine Restrictione, sine tergiversatione consentiant. Sit igitur nostra Conclusio, *Iustificatio iustificationis declinatur ut sermo sermonis.*] Dixit, et quidem cum applausu et laude. Vir erat in Grammatico stadio versatissimus, noluitque de Theologicis aliter quam grammatice, ne si grammatica tractaret theologicice, ab omnibus irridetur. Laudarunt lepidam prudentiam universi, statimque contra Erasmum, Vallaeum, et Alfonsum conversa oratio. Et quidem Roterodamensi condoluere, quod Prisciano duce, comite Lexico controversias gravissimas ita ad nugas reduxerit, ut uno eodemque discursu Apostulum et motionem ageret. Laurentio Vallae, quod ita Personae nomen acceperit, ut sublime Trinitatis mysterium in comoediam transeat. Alfonso cognomento sapienti, Castellanorum Regi, quod terrae feliciter legibus institutis, imo et coelo, nec forte suppari felicitate; a terra coeloque ad utriusque Creatorem progrediens, ausus fuerit illum insimulare, quod non fecerit, qualia ipse, si Deus esset, faceret. Et quidem ratio erat condolendi legitima: miseri enim sunt qui sapiunt plus quam sapiunt. Magnus erat Geometra Alfonsus, magnus Astronomus; sed ubi primum professionem excellit, ibi meditatus fuit multa, quae a Theologis universis damnantur. Nescio, an ista praeter rem a me dicta, an possint esse instructioni Cartesio, *ut Angelicum illud suum ingenium impendat*, ubi felicitatem expertus; aut si etiam Philosophice et Theologicice velit, magistros audiat, ante quam discipulos doceat; eo enim sunt Philosophiae scientiae iuniorum diligentia promotae ut triginta aut pluribus annis quis egeat, ne habeat praecursores sed comites, qui audiuntur et leguntur cum plausu. Haec est sententia mea, et post plurium annorum vigilias non sum ita peritus ut aliter de Cartesiana Meditatione sapiam; vos ipsi, quibus et stadium maius, experientia maior, necnon notitia maior, si aliter, admonete; et siquidem adhuc absens vestrae doctrinae et eruditionis memoria ingenium periclitior et foveo, non videbor temerarius aut nimius, si suffero vos salvere, et non solum legere, sed et diligere.

Vostrum veterem et fidelem

Amicum

Ioannem Caramuel

Lobkowitz

---

<sup>1</sup> *Meditationes*, VI (B Op I 784-786; AT VII 79, ll. 7-27).

<sup>2</sup> *Meditationes*, II (B Op I 718; AT VII 28, ll. 20-22).

<sup>3</sup> *Meditationes*, IV (B Op I 756; AT VII 57, ll. 21-27).

<sup>4</sup> *Meditationes*, III (B Op I 728; AT VII 37, ll. 3-12).

<sup>5</sup> Cfr. *Meditationes*, VI (B Op I 784-786; AT VII 79, ll. 6-10).

<sup>6</sup> Cfr. *Meditationes*, VI (B Op I 786; AT VII 79, ll. 22-27).

## HYPOPHYSICA

Secunda Principiorum parte Renatus Cartesius omnes Hypophysicas controversias exponit, omnesque ad unicam solam entitatem reducit, quam *Materiam* nominat, et esse in semper divisibilia divisibilem iudicat.

Hypophysices igitur obiectum ipso Renato iudice materia est mobilis, prout motuum diversorum capax. Eum tantisper ad meam opinionem obtorqueo, et sic intelligo. Puto in Homine tria dari substantialia positiva principia, subsistentiam, Corpus, et Animam, quas [sic] sic coordino

B	C
CORPOREITAS	ANIMEITAS
A	
SUPPOSITUM	

Has tres reales entitates, sic denominatas singulatim, aliter et aliter connecto, et complexis alia et alia nomina adtribuo. Compositum resultans ex A et B, est suppositum habens corporeitatem, hoc est, corpus in concreto et hoc concretum vocatur Hypophyicum, quo nomine intelligimus illud compositum quod ex subsistentia et essentia, supposito et superposito, Subnatura et Natura, Hypostasi et stasi resultat; et differt a Composito Physico, id enim est | coalitum Materia et Forma. Compositum resultans ex A et C, est suppositum habens Animeitatem, hoc est, Anima [...] sumpta in concreto. Et hoc concretum Hypophyicum etiam nominatur. Compositum resultans ex B et C, hoc est Corporeitate et Animeitate, appellatur Humanitas, seu Natura humana. Et asseritur esse concretum physice, nam componitur Materia et Forma ; et abstractum hypophysice, nam est excisum a supposito.

Et tandem, compositum ex A, B et C est suppositum habens humanitatem, hoc est, suppositum habens Corporeitatem et Animeitatem. Hoc compositum est Homo, qui dicitur substantia completa, componitur enim physice materia et forma, et hypophysice substantia et materia.

Corporeitas vocatur Materia prima physica, subsistentia materia prima hypophysica, asserimusque res inanimes (caelos, sydera, elementa, metalla, lapides; et tandem universas substantias non-vegetativas) esse meras substantias, et praeter materiam

primam hypophydicam, seu subsistentiam, nil substantiale dicere. Sic sentio, et videor Aristoteli Stagiritae consentire, libro enim de Mundo sic ait, *Eorum, quae in aëre, alia sunt secundum speciem, et aliam secundum hypostasin.* Aër igitur, asserente Aristotele (et idem de reliquis elementis et corporibus inanimis dicendum est) est mera hypostasis, seu materia hypophysica, quae in varias emphases seu apparentias speciesve transfiguratur. Stet igitur omnes illas substantias, quae vegetativi gradus perfectionem non attingunt, esse incompletas hypophysice et praeter subsistentiam, aut materiam hypophydicam nihil essentialiter dicere: vocarique corpora incompleta et imperfecta, quia sunt partes corporis adaequati. Hac doctrina praemissa, quam vellem admitti a Cartesio, ad eius Hypophysicam transeo. Consulto illud *vellem* posui, quoniam *Materiae* nomine physicam fortassis ille intelligit, sed haec diversitas non turbabit propositionum veritatem, si quod ille de physica, nos de hypophysica dicamus.

## QUAESTIO I

*Quibus-ne rationibus rerum materialium existentia certo cognoscatur?*

Non quaerit Renatus Cartesius, an dentur materiales substantiae? Id enim certum esse supponit; sed vult examinare solummodo, rationes, quibus haec veritas certissime suaderi possit; et sic ait. [Etsi nemo non sibi satis persua- 33-A-B<sup>1</sup>

\*\*\*

Sed haec ratio nil omnino convincit, supponit enim non posse divinitus fieri, ut videam colorem, qui nusquam est; nec ut audiam vocem, quae nusquam sonat; certum est enim hanc hypothesi [sic] certam non esse, nec ex ea aliquid concludi certo posse. Concludendum est igitur certum esse certitudine physica dari materiam divisibilem, nec dari rationem aliquam quae vel leviter suadeat sensus decipi. Addendum debere Deo concedi virtutem, qua faciat me putare sydera homines et arbores videre audire tangere, et decipi; nec ideo ipse deceptorem dicendum.

## QUAESTIO II

*Quibus-nam rationibus cognoscatur corpus humanum Menti seu Anima, esse arcte coniunctum?*

Animam Corpori, Corpus Animo strictissime unitum supponit, et rationem inquiret: et sic ait. [Eadem ratione 34 -B-C<sup>2</sup>

\*\*\*\*

Sed haec omnia sunt floccida, et nullius roboris. Primo enim vestes sunt nobis arctius coniunctae quam multae aliae res, quae nos denominant extrinsece. Arctius uniuntur dentes et capilli quam vestes, nec tamen uniuntur nexu physico, qui quaeritur: Plato enim qui nexus physicum (nempe materiae et formae) inter Animam et Corpus negavit, arctissimam coniunctionem (imo penetrationem) admisit. Patet igitur non probari a Cartesio Corpus esse substantialem potentiam, et Animam substantialem actum; illud materiam, istam formam.

Sed nec videtur penetratio monstrari, nam si Petrus diceret Animam non distingui a corpore; si Paulus dari tres animas realiter distinctas; si Antonius corpus esse vestem Animae, sicut tunica corporis; si Franciscus Animam soli cerebro inesse, et reliquum corpus esse inanime; non video cur haec ratio convinceret, supponit enim quae deberet probare.

### QUAESTIO III

*An sensuum perceptiones nos doceant, quid revera sit in rebus, an potius quid proposit ob sitve humano composito?*

Est valde necessaria huius controversiae definitio; nam, si nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu, frustra intelleciones discutiuntur, si sensationes ignorantur. Cartesius sic Quaestionem decidit [Satis erit, ait, si ad- 35 - A//<sup>3</sup>

\*\*\*

Et me quidem iudice est verissima haec Cartesij sententia, ego enim non percipio, quid res sit, sed quo modo me afficiunt [sic]. Cum enim tangor cultro, non percipio an sit ferreus, vel aureus sed an pungat vel vulneret; sic etiam cum aperio oculos non video quid sit res praesens et obiecta sed an disgreget vel congreget nervos opticos, qui visivi dicuntur. Et sic etiam in reliquis sensibus discurro.

### QUAESTIO IV

*In quonam consistat substantiae materialis essentia?*

Cartesius respondet, *naturam corporis* (incompleti, completi) *non in pondere, non in duritie, colore, aut similibus, sed in sola extensione consistere*<sup>4</sup>. Ut hanc ille Conclusionem persuadeat, Resolutionem Quaestioonis praecedentis supponit, et inde se percipere asserit, [naturam materiae, sive corporis in universum 35 - B //<sup>5</sup>

\*\*\*

Totum Cartesij argumentum videtur ad hanc formam reduci. Substantiae materialis essentia vel consistit in pondere, vel in duritie, vel in colore, etc. vel in extensione. Non in pondere, non in duritie, non in colore etc. Ergo in extensione. Et quidem haec ratio non convincit, negant enim maiorem, quotquot admittunt res spirituales divisibles, quotquot materiales indivisibles, nam si animae brutorum sunt materiales et indivisibles, non est divisibilitas de materialitatis conceptu. Et si qualitates spirituales et supernaturales dividi possunt, non est divisibilitas materialitatis character, sed aliquid materiali et immateriali, corporeo et incorporeo, non-spirituali et spirituali commune.

Quod si demus Cartesio omnem rem materiale esse divisibilem, et omnem spiritualem indivisibilem, non eo ipso dabimus divisibilitatem aut extensionem esse de essentia rei corporeae, cum Thomistae doceant omnem materiam esse divisibilem, et tamen secundum se carere partibus et extensione, et divisibilitatem esse physicum accidens materiae, et extensionem esse accidens divisibilitatis.

Puto igitur materiam ex suo conceptu esse indivisibilem, et ex multis materiis indivisibilibus coelescere materiam divisibilem nec quidquam contra demonstari a Cartesio.

Hinc patet divisibilitatem non esse accidens physicum materiae, nam sicut quattuor Angeli praescindendo ab omni accidente physico possunt dividi in duas partes, sic similiter linea quae habeat quattuor puncta, poterit in duas partes dividi, etsi omni accidente physico careat: discreta enim quantitas et continua sola unione differunt, ut suo loco monstravimus.

Hinc patet decipi Cartesium Principiorum part. 2 num. 9 existimans substantiam corpoream cum sine extensione seu quantitate concipitur, concipi tamquam incorpoream<sup>6</sup>, haec enim illatio nascitur ex praeiudicio, quod impugno.

## QUAESTIO V

*Quid sit quantitas?*

Sane continua quantitas differt a materia, sicut discreta ab Angelis; non enim quattuor Angeli sunt quattuor ob aliquam quantitatem accidentariam et a se realiter distinctam sed ob suas entitates. Consonat nostrae resolutioni Cartesius qui num. 8 sic ait [Quantitas a substantia extensa in re non 37.- A //<sup>7</sup>

\*\*\*

## QUAESTIO VI

*De Spatio, interno Loco, et Vacuo*

Haec tria merito coniungi debet, sunt enim necessario connexa, nec possunt mutuo separari. Sumo ab spatio initium, quod a Cartesio ad miraculum bene depingitur. Sic ait num. 10 [In re non differunt spatium sive Locus internus 38- A//ad 40//<sup>8</sup>

\*\*\*

## QUAESTIO VII

*De Loco externo*

Sic Renatus Cartesius. [Nomina Loci aut Spatij, ait num. 13 non significant 40 ad //<sup>9</sup>

\*\*\*

## QUAESTIO VIII

*De Vacuo. Quod sit? An dari possit?*

Summa doctrinae consequentia Renatus Cartesius satisfacit. Num. 16 sic inquit [Vacuum philosophico more sumptum, hoc est, in quo nulla plane sit substantia, dari non posse manifestum est, ex eo quod extensio spatij 42 - A//<sup>10</sup>

\*\*\*

Haec Cartesius, docte et acute. Ut autem ipse intelligatur, et aequivocationi locus desit, notandum est

## QUAESTIO IX

*De Condensatione et Rarefactione*

Materiam extendi in loco vidimus, et quid sit spatium quod occupat, locus [sic] in quo est et magnitudo [sic] qua exenditur, examinavimus, superest rarefactionem et condensationem, quae sunt extensae materiae accidentia explicare. Sane idem corpus rarum esse in maiore loco, et densum in minorem certum est, incerta tamen ratio illa formalis, quae id dilatat aut contrahit. Cartesius num. 6 sic discurrit. [Quantum ad Rarefactionem et Condensationem 36- A<sup>11</sup>

\*\*\*

Haec Cartesij opinio probabilissima est, et hodie a plurimis in schola defensa ; at crediderim praeter hanc Rarefactionem dari etiam aliam entitativam, quam argumenta plurima demonstrant, quibus Cartesius non satisfacit.

## QUAESTIO X

*De compositione Continui.*

Materia continua est, extensa est, et divisibilis, sed in quas partes?

\*\*\*

---

<sup>1</sup> *Principia*, II, art. I (*B Op I* 1772-1774; AT VIII 49, l. 5-50, l. 13).

<sup>2</sup> *Principia*, II, art. II (*B Op I* 1774; AT VIII 41, ll. 14-22).

<sup>3</sup> *Principia*, II, art. III (*B Op I* 1774; AT VIII 41, l. 24-42, l. 3)

<sup>4</sup> *Principia Philosophiae*, II, art. IV (*B Op I* 1774; AT VIII 42).

<sup>5</sup> *Principia Philosophiae*, II, art. IV (*B Op I* 1774; AT VIII 42, ll. 4-22).

<sup>6</sup> Cfr. *Principia*, II, art. IX (*B Op I* 1780; AT VIII 45, ll. 8-16).

<sup>7</sup> *Principia*, II, art. VIII (*B Op I* 1778-1780; AT VIII 44, ll. 19-31).

<sup>8</sup> *Principia*, II, artt. X-XII (*B Op I* 1780-1782; AT VIII 45, l. 17-47, l. 5).

<sup>9</sup> *Principia*, II, art. XIII (*B Op I* 1782; AT VIII 47, ll. 6-28).

<sup>10</sup> *Principia*, II, art. XVI (*B Op I* 1786; AT VIII 49, ll. 4-14).

<sup>11</sup> *Principia*, II, art. VI (*B Op I* 1776-1778; AT VIII 43, ll. 5-26).

an Cartesius dicat se monstrare. Vide pag. 495

SELECTIORES  
QUAESTIONES  
A VARIIS Philosophis PROPOSITAE,  
EXPLICATAE A RENATO CARTESIO,  
RECOGNITAE A I. CARAMUEL LOBKOWITZ

Prodierunt Amstelodami anno MDCXLII apud Ludovicum Elzevirium Obiectiones in Meditationes Cartesianas, et primo loco in arenam discendi eruditus Theologus, qui urbanissime eloquitur, et aliquas instantias proponit, quibus eum respondeat Cartesius, proderit obiectiones et responsiones recognoscere, ut utriusque (opponentis et reponentis) ingenium cognoscatur.

QUAESTIO I  
*De Ideae definitione et causa.*

Ideae voces delectatur Cartesius, sed quia varie eam usurpat, dubitare merito quis posset quid Ideae nomine significetur. Ut discat id ipsum Theologus, qui primas obiectiones scripsit, sic dis-

*Quaestiones*

## QUAESTIO

*De superficie an detur? Et quid ipsa sit?*

Merito Libertus Fromondus controversiam quae de continuo est, inscripsit Labyrinthum<sup>1</sup> quia vix altera in tota Philosophia intricatior. Circa superficiem in sextis objectionibus septimus scrupulus propositus fuit hisce verbis [Scrupulus erit de superficie in qua, vel cuius ope aī fieri omnes sensationes; non enim intelligimus qui fieri possit ut neque sit pars corporum quae sentiuntur, neque pars ipsius aēris, et vaporum, quorum Illam negas esse partem ullam, vel etiam extremum: Necdum etiam capimus nulla esse cuiuslibet corporis, aut substantiae accidentia realia, quae virtute divina possint absque ullo subjecto existere, reque vera existant in Altaris Sacramento, uti asseris. Non est tamen quod Doctores nostri moveantur, donec viderint num sis illa demonstratus in tua Physica, cuius nobis spem facis, quamque vix credunt ea nobis adeo clare proposituram, ut ipsa possint vel debeat amplexi, rejectis antiquioribus.]<sup>a</sup>

Respondet Renatus Cartesius. [Non aliter concipio superficiem, a qua sensus nostros affici puto, quam ab omnibus Mathematicis vel Philosophis concipi solet (vel saltem debet) illa, quam a corpore distinguunt, et omni profunditate carere supponunt. Sed duobus modis superficie nomen apud Mathematicos usurpat; nempe vel pro corpore, ad cuius solam longitudinem et latitudinem attenditur, quodque nulla cum profunditate spectatur, etsi non negetur ipsum aliquam habere; vel tantum pro corporis modo, quando scilicet omnis | ei profunditas denegatur. Et idcirco ad vitandam ambiguitatem, dixi me loqui de ea superficie, quae, cum sit tantum modus, non potest esse pars corporis; corpus enim est substantia, et modus non potest esse pars substantiae. Sed non negavi esse corporis extremum; quin e contra, maxime proprie vocari potest extremitas tam corporis contenti quam continentis, eo sensu quo dicuntur ea corpora esse contigua, quorum extremitates sunt simul. Nam sane, cum duo corpora se mutuo tangunt, una et eadem est utriusque extremitas, quae neutrius pars est, sed utriusque idem modus, qui etiam potest manere, quamvis ista corpora tollantur, modo tantum alia, quae sint ejusdem accurate magnitudinis et figurae, in ipsorum loca succedant. Quin et locus ille, qui ab Aristotelicis dicitur esse superficies corporis ambientis, non potest intelligi esse alia superficies, quam haec, quae non est

---

<sup>a</sup> Da *illam negas ad antiquioribus*: becquet a stampa, con annotazioni mss. Trattasi di stralcio dalla p. 461 (*Objectiones VI*) di un esemplare della II edizione delle *Meditationes* (= *Objectiones VI, B Op I* 1204; AT VII 417, ll. 12-25).

substantia, sed modus. Neque enim mutatur locus turris, etsi aër ipsam ambiens mutetur, vel aliud corpus in locum ipsius turris substituatur, nec proinde superficies, quae hic pro loco sumitur, pars ulla est aëris ambientis, vel turris. Ad accidentium autem realitatem explodendam, non mihi videtur opus esse expectare alias rationes ab iis quae jam a me tractatae sunt. Nam primo [...] Quia vero praecipua ratio quae movit Philosophos ad ponenda accidentia realia, fuit, quod putarint sine illis sensuum perceptiones explicari non posse, promisi me id minutatim de singulis sensibus in Physicis expositurum, non quod velim ut mihi ulla in re credatur, sed quia ex iis quae jam de visu in Dioptrica explicui, putavi recte judicantes facile facturos esse conjecturam de eo quod in caeteris praestare possim.]<sup>b</sup> |

---

<sup>b</sup> Da ei profunditas a nam primo: becquet a stampa, con annotazioni mss. Trattasi di stralcio dalla p. 481 (*Responsiones VI*) di un esemplare della II edizione delle *Meditationes* (= *Responsiones VI*, B Op I 1226-1228; AT VII 433, l.11-435, l. 21).

---

<sup>1</sup> L. FROMONDUS, *Labyrinthus, sive de compositione continui*, Antiverpiae 1631.

## QUAESTIO

### *An dentur invisibilia?*

Lego in Cartesij Respcionibus quintis pag. 444 [Paulo post aīs *objectum purae Matheseos, ut punctum, lineam, superficiem, constantiaque ex ijs indivisibilia, indivisibiliterque se habentia, existere reipsa non posse;* unde sequitur nullum triangulum, nihilque omnino ex ijs quae ad ipsus aliarumve figurarum Geometricarum essentias pertinere intelliguntur, unquam extitisse; ac proinde istas essentias non esse ab ullis rebus existentibus desumptas. At, inquis, sunt falsae, opinione tua scilicet, quia naturam rerum talem esse supponis, ut eae non sint ipsi conformes. Sed nisi omnem Geometriam falsam quoque esse contendas, negare non potes quin de ipsis multae veritates demonstrentur, quae cum eadem semper sint, merito dicuntur immutabiles et aeternae. Quod autem forte non sint conformes ei rerum naturae quam tu supponis, ut eae etiam illi quam Democritus et Epicurus ex atomis effinxerunt, est tantum ipsis denominatio extrinseca quae nihil mutat; et nihilominus haud dubie sunt conformes verae illi rerum naturae quae a vero Deo condita est: Non quod sint in mundo substantiae longitudinem habentes sine latitudine, aut latitudinem sine profunditate sed quia figure Geometricae non considerantur ut substantiae, sed ut termini sub quibus substantia continetur. Interim autem non concedo *ideas istarum figurarum nobis unquam per sensus fuisse illapsas*, ut vulgo omnes sibi persuadent: Etsi enim haud dubie dari possint in mundo, quales a Geometris considerantur, nego tamen ulla dari circa nos, nisi forte tam minutis, ut nullo modo sensus nostros attingant: nam componuntur ut plurimum ex lineis rectis, at nequidem unquam ulla pars lineae, quae revera recta esset, sensus nostros movit, quippe cum illas, quae maxime rectae nobis visae sunt, pulicario perspicillo examinamus, pale irregulares et undulatim ubique incurvas esse deprehendimus] <sup>a</sup> |

---

<sup>a</sup> Da *sint conformes a deprehendimus: becquet* a stampa. Trattasi di stralcio dalla p. 445 (*Responsiones V*) di un esemplare della II edizione delle *Meditationes* (= *Responsiones V, B Op I* 1186; AT VII 380, l. 23-382, l. 3).

## QUAESTIO

### *De Sacramento Eucharistiae*

Cum multa acute et audacter de accidentibus et qualitatibus Cartesius diceret, Vir ille clarissimus, qui quartas obiectiones scripsit, timuit ne eucaristici sacramenti periclitaretur mysterium ideoque docte et solide ipsum aggreditur his verbis [*Tria sunt*, ut sapienti monet B. Augustinus de utilit. Credendi cap. 15 *velut finitima sibimet in animis hominum distinctione degnissima. Intelligere, credere, opinari.* Intelligit, qui certa ratione aliquid comprehendit. Credit, qui gravi aliqua autoritate commotus verum esse arbitratur etiam quod certa ratione non comprehendit. Opinatur, qui, quod nesciat, se scire existimat. Opinari autem duas ob res turpissimum est: quod ediscere non potest, qui sibi jam se scire persuasit, si modo illud disci potest; et per se ipsa temeritas non bene affecti animi signum est. Quod intelligimus igitur, debemus rationi; quod credimus, autoritati; quod opinamur, errori. Haec dicta sunt, ut intelligeremus nos, retenta fide illarum etiam rerum quas nondum comprehendimus, a temeritate opinantium vindicari. Nam qui dicunt nihil esse credendum, nisi quod scimus, id unum carent nomen opinationis, quod fatendum est turpe ac miserrimum. Sed si quis diligenter consideret plurimum interesse, utrum se scire quis putet, an quod nescire se intelligit, credat aliqua autoritate commotus<sup>a</sup> accidentia remanere: ea autem sunt extensio, figura, color, odor, sapor, aliaeque sensiles qualitates. Qualitates sensiles nullas esse putat Vir C., sed tantummodo varias corpusculorum nobis adjacentium motiones, quibus varias illas impressiones percipimus, quas deinde coloris, saporis, odoris nominibus appellamus. Restant ergo figura, extensio, mobilitas. At negat Author facultates illas absque aliqua substantia cui insint posse intelligi, nec proinde etiam absque illa existere; quod etiam repetit in responsione ad Theologum<sup>b</sup>. Nec agnoscit, inter illas affectiones et substantiam, distinctionem nisi formalem, quae sufficere non videtur, ut quae sic distinguuntur, a se invicem etiam divinitus separantur. Non dubito quin, qua pietate est Vir Clarissimus id attente diligenterque perpendat, et summo sibi

<sup>a</sup> Da *errori a commotus: becquet* a stampa. Trattasi di stralcio dalla p. 250 (*Objectiones IV*) di un esemplare della II edizione delle *Meditationes* (= *Objectiones IV, B Op I* 972; AT VII 216, l. 25-127, l. 4) che cita AURELIUS AUGUSTINUS, *De utilitate credendi*, I, 11, 25 (PL 42, 83-84; CSEL 25. VI-1, 31, l. 23-33, l. 25).

<sup>b</sup> Da *accidentia remanere a Theologum: becquet* a stampa. Trattasi di stralcio dalla p. 251 (*Objectiones IV*) di un esemplare della II edizione delle *Meditationes* (= *Objectiones IV, B Op I* 972; AT VII 217, l. 20-218, l. 2).

studio judicet incumbendum, ne, cum Dei causam adversus impios agere meditatur, fidei, illius autoritate fundatae, et cuius beneficio immortalem illam vitam, quam hominibus persuadendam suscepit, se consecuturum sperat, aliqua in re periculum creasse videatur.]<sup>1</sup>

Hucusque ille. At Renatus Cartesius suam mentem exponit hisce verbis. [Superest, ut Sacramentum Eucharistiae, cum quo iudicat vir Cl. Meas opiniones non convenire, quia, inquit, fides credimus ablata ab *Eucharistico pane panis substantia, sola illuc accidentia remanere*; putat autem, *me nulla accidentia realia admittere, sed tantum modos, qui absque aliqua substantia, cui insint, non possunt intelligi, nec proinde etiam absque illa existere*. Quam objectionem perfacile possem eludere, dicendo me nunquam hactenus accidentia realia negasse; nam, quamvis ipsis in Dioptrica et Meteoris non usus sim ad ea de quibus agebam explicanda, dixi tamen expressis verbis in Meteoris, p. 164, me illa non negare. In his vero Meditationibus supposui quidem ipsa nondum a me cognosci, sed non idcirco nulla esse; modus enim scribendi analyticus, quem sequutus sum, id patitur ut quaedam interdum supponantur quae nondum sint satis explorata, ut patuit in prima Meditatione, in qua multa assumpseram, quae deinde in sequentibus refutavi. Nec sane hic quicquam de natura accidentium volui stabilire, sed ea tantum, quae de ipsis tanquam prima fronte apparuerunt, proposui. Ac denique, ex eo quod dixerim modos absque aliqua substantia cui insint non posse intelligi, non debet inferri me negasse illos absque ipsa per divinam potentiam poni posse, quia plane affirmo et credo Deum multa posse efficere, quae nos intelligere non possumus. Sed, ut hic agam<sup>c</sup> liberalius, non dissimulabo me mihi persuadere, nihil plane aliud esse a quo sensus nostri afficiantur praeter solam illam superficiem, quae est terminus dimensionum ejus corporis quod sentitur: in sola enim superficie fit contactus; et nullum sensum affici nisi per contactum, non ego solus, sed fere omnes philosophi cum ipso Aristotele affirmant. Ita ut, exempli causa, panis vel vinum non sentiatur, nisi quatenus ejus superficies, vel immediate a sensu organo, vel mediante aëre aliisve corporibus, ut ego judico, vel, ut ajunt plerique Philosophi, mediante bus speciebus intentionalibus, attingitur. Notandum autem est, istam superficiem, non ex sola corporum figura externa quae digitis tractatur, esse aestimandam, sed considerandos etiam esse omnes illos exiguo-

---

<sup>c</sup> Da *Eucharistico pane a agam: becquet* a stampa con annotazioni mss. Trattasi di stralcio dalla p. 286 (*Responsiones IV*) di un esemplare della II edizione delle *Meditationes* (= *Responsiones IV, B Op I* 1012; AT VII 248, l. 13-249, l. 14).

meatus, qui inter pulvisculos farinae ex quibus panis conflatus est, atque inter particulas spiritus, aquae, aceti et foecum seu tartari, ex quorum mistura vinum constat, itemque inter reliquorum corporum minutias reperiuntur. Nam sane particulae istae, cum diversas habeant figuram et motus, nunquam tam apte jungi possunt, quin multa inter ipsas spatia relinquuntur, quae vacua non sunt, sed vel aëre vel alia materia repleta: ut ad oculum videmus in pane spatia<sup>d</sup> ejusmodi satis magna, quae non modo aëre sed etiam aqua, vel vino, aliisve liquoribus impleri possunt. Cumque panis maneat semper ipse idem, quamvis aër, aliave materia ejus poris contenta mutetur, patet ista ad ejus substantiam non pertinere; ideoque ipsius superficiem non eam esse quae brevissimo ambitu integrum cingit, sed eam quae singulis ejus particulis est immediate circumposita. Notandum etiam est, hanc superficiem non modo totam moveri, cum totus panis ex uno loco in alium transfertur, sed etiam moveri ex parte, cum aliquae panis particulae ab aëre aliisve corporibus ejus poros ingredientibus agitantur: adeo ut, si quae corpora talis sint naturae, ut vel aliquae, vel omnes eorum partes assidue moveantur (quod de plerisque partibus panis et de omnibus vini verum existimo), intelligenda etiam sit ipsorum superficies in continuo quodam motu esse. Notandum denique, per superficiem panis, aut vini, alteriusve corporis, non hic intelligi partem ullam substantiae nec quidem quantitatis ejusdem corporis, nec etiam partem corporum circumiacentium, sed tantummodo *terminum illum qui medius esse concipitur inter singulas ejus particulas et corpora ipsas ambientia, qui<sup>e</sup> addatur*, per quod accidentia ista realia absque panis substantia ita existant, ut ipsa interim non fiant substantiae; quod non modo pugnat contra humanam rationem, sed etiam contra axioma Theologorum, qui dicunt verba ista consecrationis nihil efficere nisi suum significatum, et quae per rationem naturalem possunt explicari, miraculo nolunt adscribi. Quae omnes difficultates per meam hujus rei explicationem plane tolluntur: nam tantum abest ut juxta ipsam opus sit aliquo miraculo ad conservanda accidentia post sublatam substantiam, quin potius sine novo miraculo (per quod scilicet dimensiones mutentur) tolli non possint. Hocque aliquando contigisse memoriae proditum est, cum, loco panis consecrati, caro vel puer in manibus sacerdotis

<sup>d</sup> Da *liberalius a pane spatia: becquet* a stampa con annotazioni mss. Trattasi di stralcio dalla p. 287 (*Responsiones IV*) di un esemplare della II edizione delle *Meditationes* (= *Responsiones IV*, *B Op I* 1012; AT VII 249, ll. 14-250, l. 9).

apparuit; non enim id unquam per miraculi cessationem, sed omnino per novum miraculum, accidisse creditum est. Praeterea nihil est incomprehensibile aut difficile in eo quod Deus creator omnium possit unam substantiam in aliam mutare, quodque haec posterior substantia sub eadem plane superficie remaneat, sub qua prior continebatur. Nec etiam quicquam rationi magis consentaneum dici potest, nec vulgo apud Philosophos magis receptum, quam non modo omnem sensum, sed generaliter omnem corporis in corpus actionem, fieri per contactum, huncque conctactum in sola superficie esse posse: unde sequitur evidenter, eandem superficiem, quamvis substantia quae sub ea est mutetur, eodem semper modo agere ac pati debere. Quapropter, si verum hic sine invidia scribere licet, ausim sperare venturum tempus aliquando, quo illa opinio quaeponit accidentia realia, ut a ratione aliena, et incomprehensibilis, et parum tuta in fide, a Theologis explodetur, et mea in ejus locum ut certa et indubitata recipietur. Quod hic dissimulandum esse non putavi, ut, quantum in me est, occorra illorum calumniis, qui, quoniam aliis doctiores videri volunt, nihil aegrius ferunt, quam si quid novi in scientiis, quod sibi prius cognitum fuisse fingere non possint, afferatur. Et saepe in illud eo acrius invehuntur, quo verius et majoris momenti esse putant; quodque rationibus refutare non valent, Sacris Scripturis ac veritatibus fidei adversari absque ulla ratione affirmant. Impii certe hac in parte quod autoritate Ecclesiae uti velint ad evertendam veritatem. Sed provoco ab istis ad pios et orthodoxos Theologos, quorum me judiciis et censurae libentissime submitto<sup>f</sup>.

---

<sup>c</sup> *Ejusmodi satis ad ambientia, qui: becquet* a stampa con annotazioni *mss.* Trattasi di stralcio dalla p. 288 (*Responsiones IV*) di un esemplare della II edizione delle *Meditationes* (= *Responsiones IV, B Op I* 1014; AT VII 250, ll. 9-251, l. 2).

<sup>f</sup> Da *addatur a submitto: becquets* a stampa. Trattasi di stralcio dalle p. 293-294 (*Responsiones IV*) di un esemplare della II edizione delle *Meditationes* (= *Responsiones IV, B Op I* 1020-1022; AT VII 254, l. 21-256, l. 8).

---

<sup>1</sup> *Objectiones IV (B Op I 970-974; AT VII 216, l. 10-218, l. 13).*

## QUAESTIO

### *De animabus brutorum, quid ipsae sint?*

Ab amicis mea semper Philosophia avarissima credita, sed video Cartesium omnino avariorem. Negavi formarum inanimarum distinctionem, negavi plantarum, his formas substantiales non adtribui sed a sole movi; eundem solem esse etiam brutorum et hominum vegetativam animam statui, et duas formes substantiales concessi, vitales ambas, alteram materialem, spiritualem alteram; illam brutis, hanc vero hominibus attribui. At Renatus Cartesius me avarissimo Philosopho avarior, brutorum animas inutiles et superfluas contendit, remque alibi uberius diducturus sic inquit pag. 264 ad quartas obiectiones respondens. [Quantum ad animas brutorum, etsi earum consideratio non sit hujus loci, nec sine totius Physicae tractatione plura de ipsis dicere possim quam quae jam in dissertationis de Methodo parte quinta explicui: Ne tamen omnino nihil dicam, maxime notandum mihi videtur nullos motus fieri posse tam in brutorum corporibus, quam in nostris, nisi adsint omnia plane organa, sive instrumenta, quorum ope iidem etiam in machina peragi possent, adeo ut nequidem in nobis ipsis mens immediate moveat membra externa, sed dirigat tantum spiritus a corde per cerebrum in musculos fluentes, eosque ad certos motus determinet, cum ex se isti spiritus ad multas actiones diversas aequa facile applicentur. Plurimi vero ex motibus qui in nobis fiunt, nullo pacto a mente dependent; tales sunt pulsus cordis, ciborum coctio, nutritio, respiratio dormientium, atque etiam in vigilantibus ambulatio, cantio et similia, cum fiunt animo non advertente. Cumque illi qui ex alto decidunt, manus in terram praemittunt ut caput tueantur, nullo sane consilio rationis id faciunt, sed tantum quia visio impendentis casus, ad cerebrum usque pertingens, spiritus animales in nervos mittit, eo modo quo necesse est ad hunc motum, vel mente invita, et tanquam in machina, producendum. Cumque hoc in nobis ipsis pro certo experiamur, quid est quod tantopere miremur si lumen e lupi corpore in ovis oculos reflexum eandem habeat vim ad motum fugae in ipsa excitandum? Iam vero, si velimus uti ratione ad dignoscendum an aliqui brutorum motus similes sint iis qui peraguntur in nobis ope mentis, vel iis tantum qui a solo spirituum influxu et organorum dispositione dependent, considerande sunt differentiae quae inter ipsis reperiuntur: nempe illae quas in parte quinta dissertationis de Methodo explicui, non enim alias puto inveniri; tuncque facile apparebit, omnes brutorum actiones iis tantum similes esse quae sine ulla ope mentis a nobis fiunt. Unde concludere cogemur nullum plane in ipsis principium motus a

nobis cognosci, praeter solam dispositionem organorum, et continuum affluxum spirituum, qui a calore cordis sanguinem attenuantis producuntur; simulque advertemus nihil nobis antehac occasionem dedisse aliud ipsis affingendi, nisi tantum quod illa duo principia motus non distinguentes, cum prius, quod a solis spiritibus et organis dependet, in brutis, tanquam in nobis, esse videremus, aliud etiam quod in mente, sive cogitatione consistit, ipsis inesse inconsulte crederemus. Et sane quidquid ita nobis ab ineunte aetate persuasimus, quantumvis postea falsum esse rationibus ostendatur, non tamen facile, nisi diu, et frequenter ad rationes istas attendamus, ab opinione nostra deletur.] <sup>a</sup> Hucusque ille; et forte ex motivis gravissimis quae suo tempore Deo dante in Philosophia quam promittit videbimus. Que<sup>b</sup> [sic] nullam plane habet entitatem nisi modalem. Iam vero cum in hoc solo termino contactus fiat, et nihil nisi per contactum sentiatur, manifestum est ex hoc uno quod dicantur panis, et vini substantiae in alicujus alterius rei substantiam ita mutari, ut haec nova substantia sub eisdem plane terminis contineatur, sub quibus aliae prius erant, sive in eodem praecise loco existat in quo panis et vinum prius existebant; vel potius (quia eorum termini assidue moventur) in quo jam existerent si adessent; sequi necessario novam illam substantiam eodem plane modo sensus omnes nostros afficere debere, quo panis et vinum illos afficerent si nulla transubstantiatio facta esset. Docet autem Ecclesia in Concilio Tridentino ses. 13, can. 2 et 4. *conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, manente duntaxat specie panis.* Ubi non video quidam possit intelligi per speciem panis, praeter illam superficiem, quae media est inter singulas ejus particulas, et corpora ipsas ambientia. Ut enim jam dictum est, in hac sola superficie fit contactus: et, fatente ipso Aristotele, non modo sensus ille, qui specialiter *tactus* vocatur, se et alii sensus tactu sentiunt. lib. 3 de anima, cap. 13: Et nemo est qui putet hic per speciem aliud intelligi, quam praecise id, quod requiritur ad sensus afficiendos. Et nemo etiam est, qui credit conversionem panis in Christi corpus, quin simul putet hoc Christi corpus sub eadem accurate superficie contineri, sub qua contineretur panis, si adesset. Etiamsi tamen ibi non sit, tanquam proprie in loco, *sed sacramentaliter, et ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse DEO, cogitatione per fidem illustrata assequi*

---

<sup>a</sup> Da hujus loci a deletur: becquets a stampa con annotazioni mss. Trattasi di stralcio dalle pp. 264-266 (*Responsiones IV*) di un esemplare della II edizione delle *Meditationes* (= *Responsiones IV, B Op I* 988-990; AT VII 229, l. 10-231, l. 7).

*possumus, et constantissime credere debemus.* Quae omnia tam commode, ac tam recte per mea principia explicantur, ut non modo nihil hic habeam quod verear, ne orthodoxis Theologis offendiculo sit futurum, sed contra potius magnam me ab ipsis gratiam initurum esse confidam, quod eas in Physica proponam opiniones, quae longe melius quam vulgares cum Theologia consentiant. Nam sane nullibi unquam, saltem quod sciam, docuit Ecclesia species panis, et vini remanentes in Sacramento Eucharistiae esse accidentia quaedam realia, quae sublata substantia, cui inhaerebant, miraculose sola subsistant. Sed cum forte primi Theologi, qui hanc quaestionem Philosophico more explicare conati sunt, tam firmiter sibi persuaderent accidentia illa quae sensus movent esse quid reale a substantia diversum, ut ne adverterent quidem ea de re posse unquam dubitari: sine ullo examine ac sine justa ratione supposuerant species panis esse accidentia ejusmodi realia: totique deinde in eo fuerunt, ut explicarent quomodo ipsa sine subjecto esse possint. Qua in re tot difficultates invenerunt, ut vel ex hoc uno (quemadmodum viatores cum forte ad salebras et loca nullo modo pervia devenerunt) se a vero itinere deflexisse judicare debuissent. In primis enim non videntur sibi constare, saltem ii qui omnem sensuum perceptionem per contactum fieri concedunt, cum in objectis aliquid aliud, quam ipsorum superficies varie dispositas, ad movendos sensus requiri supponunt: quia per se notum est ad contactum solam superficiem sufficere; Si qui vero id non concedant, nihil ea de re afferre possunt quod ullam habeat speciem veritatis. Deinde non potest humana mens cogitare accidentia panis esse realia et tamen absque ejus substantia existere, quin simul illa per modum substantiae concipiatur: Adeo ut implicare videatur, ut tota panis substantia mutetur, quemadmodum credit Ecclesia; et interim ut aliquid reale, quod prius erat in pane, remaneat: quia nihil reale potest intelligi remanere, nisi quod subsistat et, quamvis verbo vocetur accidens, concipiatur tamen ut substantia. Ideoque in re idem est ac si diceretur totam quidem panis substantiam mutari, sed tamen illam ejus substantiae partem, quae vocatur accidens reale, remanere: quod si non in verbis certe in conceptu contradictionem involvit. Atque haec praecipua ratio esse videtur ob quam nonnulli hac in parte ab Ecclesia Romana dissenserunt: Quis autem neget, ubi liberum est, et nulla ratio, nec Theologica, nec quidem Philosophica, cogit nos ad aliquas opiniones amplectendas, quin illae potissimum sint eligendae, quae nullam aliis occasionem nec praetextum dare possint

---

<sup>b</sup> Ma: *Quique.*

a veritate fidei deflectendi. Quod autem opinio quae realia ponit accidentia cum Theologicis rationibus non conveniat, puto hic satis perspicue ostendi; quodque Philosophicis plane aduersetur, spero me in summa Philosophiae quam jam habeo in manibus, clare esse demonstraturum; ibique quo pacto color, sapor, gravitas, et reliqua omnia quae sensus movent, a sola extima corporum superficie dependeant, ostendam. Denique non possunt accidentia realia supponi, quin miraculo transubstantiationis, quod solum ex verbis consecrationis concludi potest, aliud novum, et quidem incomprehensibile gratis<sup>c</sup>. |

---

<sup>c</sup> Da *que nullam a gratis: becquets* a stampa. Trattasi di stralcio dalle pp. 289-292 (*Responsiones IV*) di un esemplare della II edizione delle *Meditationes* (= *Responsiones IV, B Op I* 1014-1020; AT VII 251, l. 2-254, l. 21).

## QUAESTIO

*An nihil in effectu sit, quod non sit in causa?*

Quatuor modis potest intelligi effectus perfectio esse in causa, vel formaliter numerice, vel formaliter specifice, vel eminenter, vel virtualiter: Patet divinis (quem causam Filij et Spiritus Sancti Graeci dicunt, tametsi hic loquendi modus Ecclesiae Latinae non placeat) eamdem numero deitatem suam generatione communicat secundae Trinitatis Personae, et productione tertiae. Ignis calefacit passum calorem infundendo non quidem eumdem numero sed eumdem specie. Eminenter Deus, cum perfectior sit, continet perfectiones rerum imperfectarum quas producit. Virtualiter causa aequivoca continet perfectiones effectus, nihil enim aliud est virtualiter continere, quam posse producere.

Hac doctrina praemissa, Cartesium audiamus. In Responsoris [Sic] ad secundas objectiones pag. 148, sic inquit.

[*Quod enim nihil sit in effectu, quod non vel simili vel eminentiori aliquo modo praeextiterit in causa,* prima notio est, qua nulla clarior habetur; haecque vulgaris, *a nihilo nihil fit*, ab eo non differt; quia si concedatur aliquid esse in effectu, quod non fuerit in causa, concedendum etiam est hoc aliquid a nihilo factum esse; nec patet cur nihil non possit esse rei causa, nisi ex eo quod in tali causa non esset idem quod in effectu. Prima etiam notio est, *omnem realitatem sive perfectionem, quae tantum est objective in ideis, vel formaliter vel eminenter esse debere in earum causis;* et huic soli innixa est omnis opinio, quam de rerum extra mentem nostram positarum existentia unquam habuimus: unde enim suspiciati fuimus illas existere, nisi ex eo solo quod ipsarum ideae per sensus ad mentem nostram pervenirent?] <sup>a</sup>

Sed quia multa hic congerit Cartesius,

Dico primo, *Haec positio (A nihilo nihil fit) eo sensu quo dicta a veteribus est falsa.* Patet; quia ipsi creationem non cognoverunt, sed putarunt nihil fieri aliter quam ex materia. Si obijcas ne quidem huic evadi; quia, qui neget hanc propositionem, debet admittere Deum; ille enim, qui ex nihilo potest aliquid facere est creator, et vocatur Deus. Respondebo non esse evidenter verum creaturam non posse creare; non dum enim habemus causas naturales exploratas, adeoque in hac materia non nisi probabiliter philosophamur.

---

<sup>a</sup> Da concedatur aliquid a nostram: becquet a stampa. Trattasi di stralcio dalla p. 149 (*Responsorios II*) di un esemplare della II edizione delle *Meditationes* (B Op I 860; AT VII 135, ll. 11-26).

Dico secundo, eadem positio (A nihilo nihil fit) differt ab ista (Quidquid sit in effectu reperitur in causa) est contra Cartesium, et ostenditur, quia in illa agitur de causa materiali, hic de effidente.

Dico tertio, *In causa nunquam reperitur eadem numero perfectio quae in effectu*. Patet; quia eadem numero perfectio quae est in calore producto, non est in producente; nec in Deo, quae ad eius productionem concurrit, sed alia: nempe eiusdem speciei in calore agente, et altioris ordinis in Deo.

Si obiicias Graecos dicere Patrem esse causam Filij in divinis, nec tamen asserere diversam divinitatem producere et illi communicare. Repondebo hanc tuam instantiam ex capitibus multis claudicare. Primo enim Pater causa Filii non est, et si a Graecis causa dicitur, aut nomen ipsi causae universaliter usurpant ut nomini principij aequipolleat, aut male loquuntur. Secundo Deitas Filij non producitur sed Persona, cui Deitas communicatur. Tertio eadem numero persona aut personalitas, quae producitur, non est formaliter in Patre.

Dico quarto, *Non est necessarium, quod semper eadem specie perfectio quae est in effectu reperiatur in causa*. Ostenditur; quia tametsi calor calorem, leo leonem generet, et haec causarum univocatio sit valde communis, non tamen omnino est necessaria, quia etiam Deus leonem calorem et similia producit, nec tamen leo nec calor est. Accedit quod dari causas aequivas vulgo credatur, et has ipsas videri muscarum et reptilium generatione probari, quae producuntur a sole, a terra a plantis, in quibus formaliter (imo nec eminenter, musca enim sole et planta perfectior est) non reperiuntur, ne quidem secundum specificum gradum. Scio horum animalculorum aequivas generationem olim fuisse nostro authori pag. 134, et pag. 147 eum respondisse per haec verba. [Nec urget id quod dici- <sup>b</sup>

---

<sup>b</sup> Da si obiicias a quod dici: becquet mss.

QUAESTIO  
*An omnis limitatio sit a causa effectrice?*

Cum autem dicitur omnem limitationem esse a causa (ait Cartesius pag. 120), rem quidem veram puto intelligi, sed verbis minus propriis exprimi, difficultatemque non solvi; nam, proprie loquendo, limitatio est tantum negatio ulterioris perfectionis, quae negatio non est a causa, sed ipsa res limitata. Etsi autem verum sit, rem omnem esse limitatam a causa, per se tamen non patet, sed aliunde est probandum; ut enim optime respondet subtilis Theologus, putari potest rem unamquamque hoc vel illo modo esse limitatam, quia hoc attinet ad ejus naturam, ut est de natura trianguli quod non pluribus lineis constet quam tribus. Per se autem notum mihi videtur, omne id quod est, vel esse a causa, vel a se tanquam a causa; [*sumit nomen causae prout abstraendum ab efficienti et formalī*], nam cum non modo existentiam, sed etiam existentiae negationem intelligamus, nihil possumus fingere ita esse a se ut nulla danda sit ratio cur potius existat quam non existat hoc est ut illud a se non debeamus interpretari tanquam a causa [*formali*], propter exuperantiam potestatis, quam in uno Deo esse posse facillime demonstratur<sup>1</sup>. Haec Cartesius. et tamen si bene considerem multae dantur limitationis causae; nam si amphora est octo poculorum mensura, et plena sit, potest inquirere cur non habeat decem, et dicam plus quam octo ab illa non capi. Sed si habeat quatuor, limitationis causam non iam amphorae, sed infusori affingant. Sic etiam si dantur in rebus quod probabile est magnitudinis termini, et mea manus possit calefieri ut octo non ut novem, si octo caloris gradus habeat et inquiras cur decem non habeat, respondebo non posse eam plures gradus recipere, et limitationis originem diducam ab ipso subiecto. Si autem sit calida ut quatuor, subiungam ideo non esse calidiorem quia causa efficiens non produxit gradus inferiores.

---

<sup>1</sup> *Responsiones I* (B Op I 826-828; AT VII 111, l. 20-112, l. 11).

## QUAESTIO

*Uter melius probet Dei existentiam Angelicus Doctor, An Cartesius?*

Praemittam Theologi verba, ut postea clarius iudicam qui discorrere velit nostri Autor. Ille sic [sed ulterius *quaerere libet, an ego ipse habens illam ideam esse possem, si tale ens nullum existeret*, nempe a quo idea entis me perfectioris procedat, ut immediate ante dicit, *nempe*, inquit, *a quo possem a me scilicet, vel a parentibus, vel ab alijs etc. Atqui si a me essem, nec dubitarem, nec optarem, nec omnino quicquam mihi desset, omnes enim perfectiones, quarum idea aliqua in me est, mihi dedissem, atque ita ipsem Deus essem.* Si vero ab alio sum, tandem ad illud deveniam quod a se est et ita de illo idem, quod de me, est argumentum. Illa demum ipsa illa via est quam et S. Thomas ingreditur; quam vocam viam a causalitate causa efficienti, eamque desumpsit ex philosopho; nisi quod isti de causis idearum non sint solliciti; et forte opus non erat.]<sup>1</sup> Respondet illi noster Author [Vir nimis efficiosus in locum invidio sum me adducit, confert enim meum argumentum cum alio quodam ex S. Thoma et Aristotele desumptum, ut veluti rationem exigat, cur cum eamdem quam illi viam essem ingressus, non tamen in omnibus eandem sim secutus: sed permittat quaeso de aliis me tacere, atque eorum tantum quae ipse scripsi reddere rationem. Primo itaque non desumpsi meum argumentum ex eo quod viderem in sensibilibus esse ordinem sive successionem quandam causarum efficientium; tum *quia Deum existere multo evidenter esse putavi quam ulla res sensibiles; tam [sic]<sup>a</sup> etiam quia per istam causarum successionem non videbar alio posse devenire, quam ad imperfectionem mei intellectus agnoscendam*, quod nempe non possim comprehendere quomodo infinitae tales causae sibi mutuo ab aeterno ita successerint, ut nulla fuerit prima. Nam certe ex eo quod istud non possim comprehendere non sequitur aliquam primam esse debere, *ut neque ex eo quod non possim etiam comprehendere infinitas divisiones in quantitate finita sequitur aliquam dari ultimam, ita ut ulterius dividi non possit, sed tantum sequitur intellectum meum, qui est finitus, non capere infinitum.* Itaque malui uti pro fundamento meae rationis existentia meiipsius, quae a nulla causarum serie dependet, mihiique tam nota est *ut nihil notius esse possit:* et de me non tam quaevis a qua causa olim essem productus, *quam a qua tempore praesenti conserver, ut ita me ab omni causarum successione*

---

<sup>a</sup> Ma: *tam.*

liberarem. Deinde non quaesivi quae sit causa mei, quatenus consto mente et corpore, sed praecise tantum quatenus sum res cogitans; quod puto non parum ad rem pertinere; nam sic potui longe melius a praejudiciis me liberare, ad naturae lumen attendere, interrogare meipsum, ac pro certo affirmare nihil in me, cuius nullo modo sim conscius, esse posse; quod plane aliud est quam si ex eo quod videam me a patre genitum esse, patrem etiam ab avo esse considerarem; et quia in parentum parentes inquirendo, non possem progredi in infinitum, ideo ad finem quaerendi faciendum statuerem aliquam esse causam primam. Praeterea non tantum quaesivi quae sit causa mei, quatenus sum res cogitans, sed maxime etiam et praecipue quatenus inter caeteras cogitationes ideam entis summe perfecti in me esse animadverto; ex hoc enim uno tota vis demonstrationis meae dependet; primo, quia in illa idea continetur quid sit Deus, saltem quantum a me potest intelligi; et, *iuxta leges verae Logicae, de nulla unquam re quaeri debet an sit, nisi prius quid sit intelligatur*; secundo quia illa ipsa est quae mihi dat occasionem examinandi an sim a me, vel ab alio, et defectus meos agnoscendi; ac postremo, illa est quae docet non modo aliquam esse mei causam, sed praeterea etiam in causa illa contineri omnes perfectiones, ac proinde illam Deum esse. Denique non dixi impossibile esse ut aliquid sit causa efficiens sui ipsius; etsi enim aperte id verum sit, quando restringitur efficientis significatio ad illas causas quae sunt effectibus tempore priores, vel quae ab ipsis sunt diversae, non tamen videtur in hac quaestione ita esse restringenda; tum quia nugatoria quaestio esset; quis enim nescit idem nec seipso prius, nec a seipso diversum esse posse? tum etiam *quia lumen naturale non dictat ad rationem efficientis requiri ut tempore prior sit suo effectu*; nam contra, non proprie habet rationem causae nisi quandiu producit effectum, nec proinde illo est prior: dictat autem profecto lumen naturae nullam rem existere, de qua non liceat petere cur existat, sive in ejus causam efficientem inquirere; aut, si non habet, cur illa non indigeat, postulare; adeo ut, si putarem nullam rem idem quodammodo esse posse erga seipsam quod est causa efficiens erga effectum, tantum abest ut inde concluderem aliquam esse causam primam; quin e contra ejus ipsius, quae vocaretur prima, causam rursus inquirerem, et ita nunquam ad ullam omnium primam devenirem. Sed plane admitto aliquid esse posse, in quo sit tanta, et tam inexhausta<sup>b</sup>

---

<sup>b</sup> Da *omnibus eandem a inexhaust: becquets* a stampa con annotazioni *mss.* Trattasi di stralcio dalle pp. 114-116 (*Responsiones I*) di un esemplare della II edizione delle *Meditationes* (= *Responsiones I*, B Op I 820-822; AT VII 106, l. 10-109, l. 6).

---

<sup>1</sup> *Objectiones I* (*B Op I* 804; AT VII 94, ll. 5-18).